



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Analysis Methodica Ivris Pontificii

Venator, Daniel

[S.l.], 1579

VD16 V 541

Liber Secvndvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63204)

Libri secundi Obiectum est, Iudicium: quod
quid enim eo traditur, ad præparatoria
necessaria, quàm incidentia iudiciorum, partes
que, quibus ipsum iudicium constat, refertur.

DE IVDICIIS.

Titulus I.

Continuatio.

SI, mota controuersia, partium transactione,
vel pactis, vel per arbitros dirimi nõ possit,
ea in iudicium legitimè deduci, liteq; conte-
stata, examinari, & denique iudicis pronuntia-
tione definiri solet.

Quid est Iudicium?

Iudicium est, actus legitimus trium personarum, Iudicis scilicet, Actoris, & Rei, super eadem questione, vel coram eodem iudice cõtracta, gl. in c. forus, extr. de verb. sign.

Vnde dicitur Iudicium?

Iudicium vocatur quasi iurisdictio, prius in-
quisitio vocabatur. Vnde & auctores iudiciorum
præpositos, questores, vel quæsitores appellamus,
vt Isidorus in lib. Etymologiarum notat, c. forus,
extr. de verb. sign. Et à causa efficiente, obiecto, for-
ma, fine, & effectu variè diuiditur, vt ex sequen-
tibus patebit.

Quot sunt partes Iudicij?

Partes iudicij sunt, tres principium, vt citatio,
vel,

vel, vt alij volunt litis contestatio, medium, vt probationes, quouis modo illæ fiant, & finis, vt sententia vel executio, Iason in auth. ad hæc, C. de iud. l. iudex, ff. de re iudicata, &, l. 1. C. de litis contestat.

Quæ causa Efficiens?

Causa remota est, ius gentium. Siquidem iure gentiũ iudicium tam ciuile, quàm criminale introductum est: quorum illud primo iuris gentium præcepto, res esse diuidendas, hoc aut, altero, scilicet, fontes puniendos, nititur. Causa propinqua sunt, omnes personæ, quib. iudicium constituitur. Constat aut iudicium duplici personarũ genere, litigatoribus & iudice: & rursus litigatorum alij sunt Actores, alij Rei: & horum quidam suo nomine litigant, quidã alieno. Eorum, qui alienã litẽ causamq; suscipiunt, quatuor sunt species, putã, patronus, aduocat, procurator, & defensor, quorum significatio ex his Asconij Pedia ni verbis facilẽ intelligitur. Qui defendit alterũ (inquit) in iudicio, vel patronus dicitur, si orator est, vel aduocatus, si ius suggerit, aut præsentia suam amico accommodat, vel procurator, si negotiũ absentis suscipit, vel cognitor, si præsentis causã nouit, & sic tuetur vt suã. Vnde Cicero ipsum familiarissimũ defensorem appellauit: Sed cùm sa tius sit, ad propositæ materiæ intelligentiam, nominibus ad forum accommodis & vñtatis vti, hi in vniuersum sunt, qui suo vel alieno nomine, in iudicio interueniunt, scilicet, Iudex, Actor, Reus, Aduocati, Procuratores, Defensores, Tabel liones, Apparitores, & Assessores litis.

Quid

Quid Iudex?

Iudex est, persona, quæ iurisdictioni præest ac populo, iuxta legis præscriptum, lociq; cōsuetudinem, ius dicit, c. forus, §. iudex, extr. de verb. sig. Et hic vel est ordinarius, vel extraordinarius. Ordinarius iudex dicitur, qui iure suo, vel Principis beneficio, vniuersaliter iurisdictionem exercere potest, l. more maiorum, ff. de iurisdictione omnium iud. quod locum habet, siue in Ecclesiasticis, vt sunt Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & ceteri, qui habent iurisdictionem à Papa, c. omnes, dist. 22. siue in secularibus, vt sunt Duces, Marchiones, Comites, & alij. Extraordinarius est, qui non suo iure, vel Principis beneficio, vel à lege, & consuetudine, iurisdictionem habet, sed vel ex partium cōsensu, vt arbiter, vel ex Superioris commissione, vt Delegatus, alicuius causæ iudicalem cognitionem recipit, c. sana quia, & c. cum olim, extr. de off. deleg.

Quid Actor?

Actor ab agendo dicitur, estq; is, qui actionem proponit, & prior ad iudicem prouocat, l. qui prior, ff. de iud.

Quid Reus?

Reus est, qui defendit & propulsat actionem vel accusationem: non à reatu, sed à re, de qua cōtrouersia est, dictus, c. forus, extr. de verb. sig. l. properandum, C. de iud.

Quid Procurator?

Procurator dicitur, qui aliena negotia, domini mandato, in iudicio administrat, & ea, quæ ad causam

causæ iustificationem pertinēt, iudici exhibet, l. 1. ff. de procu. Qui, si ab vniuersitate, vel collegio, ad vniuersitatis causas in iudicio defendendas, constituatur, syndicus dicitur: inde nominatus, quasi singulorum, de vniuersitate, vel collegio, causas dicens, munerum, §. 2. ff. de muner. & honor.

Quid Aduocatus?

Aduocatus est, qui clientis petitionem, apud competentem iudicem, adhibito consilio maturo, & industria, in scriptis explicat, vel extenuando aduersarij intentionem ipsum in iure defendit: inde differentia inter procuratorem & aduocatum, procurator enim causam præsentis, aduocatus autem causam absentis, defendit, atq; quæ à procuratore iudicialiter exhibita sunt, cōfecit, Bart. in l. Paulus, ff. de legat.

Quid Defensor?

Defensor est, qui voluntariè, & absque mandato sese defensionem alterius offert. Qui si cautionem de iudicato soluendo non præstiterit, idoneus defensor esse non potest, nisi Actor hanc cautionem exigere negligat, c. 1. & c. mandato, extr. de procurat.

Quid Tabellio?

Tabellio est, persona habens publicum officium scribendi instrumenta ad fidem faciendā.

Quid Executor?

Executor, secundum Speculatorem, est officialis, per quæ litis executio, & ipsius causæ præparatio,

paratio, iubente suo iudice, expeditur, c. nullus, §. aliquando, 4. quæst. 4. & c. parati, extr. de appellat. Et is in iure varijs nominibus appellatur, scilicet apparitor, officialis, nuntius, minister, Cæsarianus, Catholicianus, & portarius. Speculator in tit. de executore.

Quid Assessor?

Assessor est is, quem ille, qui iudicandi potestatem habet, sibi associat, ut sibi in causæ cognitione assideat, vel assistat, & eum ad rectè decidendam causam instruat, Specul. tit. de assessor. §. assessor, l. 1. C. de assessor. & is aliter vocatur consiliarius, infr. de cons. c. requis.

Quotuplex est iudicium à causa Efficiente?

Potest dici varium. Sed iuxta summam divisionem est, vel Ecclesiasticum, vel seculare. Ecclesiasticum est, quod coram iudice Ecclesiastico, habente iurisdictionem ordinariam, vel mandatè, inter personas Ecclesiasticas, vel etiam laicos causa ad iudicem Ecclesiasticum pertinente agitur, c. decernimus, extr. de iudi. c. causam matrimonij, extr. de off. deleg. cap. fin. de foro comper. Iudicium seculare est, quod coram iudice laico, inter personas seculares exercetur, d. cap. decernimus.

Quod Obiectum?

Est causa, quæ dicitur in c. forus, extr. de verb. signif. materia iudicij, & origo negotij, quæ dum propo-

proponitur causa propriè est, dum discutitur, iudicium, & dum finitur, iustitia dici potest, d. c. forus. Causarum genera licet varia sint, tamen summam in ciuilia & criminalia distinguuntur. Vnde cognitionum numerus, ex varijs causis descendens, licet in genera diuidi non possit, tamen in genere quatruplici consistere Callistrato Iureconsulto dicitur: 1. In honorum & munerum gerendorum controuersia. 2. Rei pecuniariæ disceptatione. 3. Alicuius existimationis cognitione. 4. Capitalis criminis quæstione: quorum duo priora ad causas ciuiles, duo autem posteriora ad criminales referuntur, l. cognitionum, ff. de extraord. & c.

Quæ diuisio iudiciorum sumitur ab Obiecto?

Quodd aliud iudicium sit ciuile vel priuatum, aliud publicum vel criminale. Ciuile est, quo Actor suum vel alterius commodum priuatum prosequitur. Criminale est, quod accusator ad vindictam publicam, vel pœnam fisco applicandam, instituit, l. item capitale, ff. de pub. iud.

Quæ Forma iudiciorum?

Vt à personis, quibus constituitur, iudiciū legitime instituatur, partesq; oēs iudicarij processus ordinata quadam serie obseruetur. Scilicet: vt Actor agendi ius habens, iustamq; causam & occasionem litigandi adeptus, iudicem competentem per se, vel per procuratorem, adeat, libellumq; actionis proponat: quo accepto,
Reus,

Reus, qui alias legitimè conueniri possit, citatus infra temporis à iudice concessi spatium delibere, an contendere, nec ne in iudicio velit, quòd si iustas defensionis se habere, atque ob id sibi contentèdum putet, exceptionibus, vel etià vltimis replicationibus, duplicationibus, triplicationibus, & quadruplicationibus, &c. (quæ in iure vtriusque sunt) vtrinque propositis, inficiàdo vel affirmando intentionem Actoris, litem contestetur. Exhibitisq; ab Actore articulis, vel libello articulorum loco repetito, & exceptionibus, quæ post litem contestationem in vim defensionis admittuntur à reo conuento obiectis, horumq; probatione, & post allegationes omnes causæ, conclusionem vtrinque facta, sententia diffinitiuà feratur. Quæ, nisi infra decem dies à tempore scientiæ computandos ab ea appellatum fuerit, transit in rem iudicatam, executioniq; mandatur, Auth. offeratur, C. de litem contest. Quòd si autem Reus peremptorijs edictis euocatus non compareat contra eum, vel per comminationem ferendæ sententiæ, vel immisionem exprimo, & vltimis, secundo decreto in bona litigiosa proceditur, licet etiam contumacia absentis, ad hoc quòd damnolitis coerceatur, varijs modis secundum Dd. in l. 1. ff. si quis ius dicenti non obtemper. puniatur, l. contumacia, ff. de rei iud. l. in peremptorio, & l. post edictum, ff. de iudicijs, c. Romana, §. contrahentes de foro comp. in 6.

*Quotuplex iudicium ratione
formæ?*

Duplex, ordinarium, & extraordinarium.
Ordi-

Ordinarium est, quod certum procedendi ordinem, à iure præscriptum, exigit. Extraordinarium autem dicitur, quando non in figura iudicij, sed ex iudicis officio, per modum inquisitionis, vel denuntiationis, vel aliàs de plano, ex æquitate proceditur, c. super his, & c. qualiter, extr. de accusat.

Quis Finis?

Finis est, vt innocentia protegatur, & culpa ac delictum puniatur: vnusquisque suum seruare, vel, iniuria alicuius ablatum, cõsequi possit: æquitas & paritas custodiatur: & sit certus litium terminandarum modus, c. quæ Lotharius, 2. quæst. 1. cap. non frustra, 23. quæst. 5. cap. 1. eod. in 6.

A Fine quæ diuisio Iudiciorum sumitur?

Licet complures à fine & effectu sumantur iudiciorum diuisiones, illa tamen inter alias est notanda: quòd quædam iudicia sint priuata. quæ in hunc finem; vt aliquid detur vel fiat, instituuntur: Alia publica. in quibus ad vindictam & pœnam fisco applicandam, vel corporaliter sufferendã, agitur. Quod notauit Cicero pro Cæcina, cùm ait: Omnia iudicia aut dirimendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa, esse comparata, & tot. tit. ff. de publ. deli.

Qui sunt Effectus iudiciorum?

Effectus est multiplex. Primò enim iudicio actionis non vltra annum, vel aliquantulum

Q diuti

diutiùs duraturæ perpetuitatem, l. vni. C. ex delictis defunctorum quantum hæredes conveniantur. 2. Inducit etiam præscriptionis interruptionem, l. vlt. C. de præscrip. 30. 3. Iudicio constituitur obligatio, l. 3. ff. de peculio. 4. Nouatur actio, l. aliam, ff. de nouat. 5. Deteriorem causam nostram non facit, sed meliorem, eò, quòd actionem tempore, vel morte perituram perpetuet, & moræ purgationem excludat, d. l. aliam.

Quotuplicia Iudicia ab Effectu?

Alia sunt principalia, alia præiudicialia, alia præparatoria. Principale est, quod principaliter exercetur, & dictum ita, ad differentiam incidentis. Præparatorium dicitur, quod ad exercenda alia iudicia parat viam, l. 1. & l. 3. ad exhib. Præiudiciale est, quod præiudicium alijs iudicijs, nisi priùs definiatur, præstruit, l. fundum fam. hæ.

Quæ Affinia?

Arbitria, quæ ad similitudinem iudiciorum sunt redacta, transactio, & iuramentum: quorù vigor non minor, quàm iudiciorum, est, cum rei iudicaturæ auctoritatem habeant, l. 1. ff. de arb. l. non minorum, C. de transf. l. 4. ff. de iure iur.

Quæ Adiacentia?

Scriptio actorum, sportulæ, sumptus iudiciales, vel honoraria personarù forensium, aut certa & ordinaria, aut incerta & extraordinaria, debita, vel ex conuentione, vel officio iudicis extra
ordie

ordinem, tempus commodum, locus idoneus & honestus, & iura statutaria.

Quæ Pugnantiæ?

Eremoditium, desertio vadimonij. Contrahitur autem eremoditium, cum lis contestata deseritur: & differt à desertione vadimonij; quæ nihil aliud est, quàm desertio promissionis iudicio sistendi causa factæ; quòd ex hac causa leuior, quàm ex illa pœna fit. Nam eremoditium damno litis coercetur, quia desertori non licet appellare, vel ex integro causam agere, quod tamè ei, qui promissioni iudicio sisti nõ paret, nõ prohibetur, Dd. in l. properandum, C. de iud. & Nouel. 68. Vt omnes obediant præsidibus. Defectus iurisdictionis, c. scriptum, 6. q. 3. Dolus iudicis: vt si litem ex amore, fauore, gratia, odio, prece, vel alio affectu, suam fecerit. Vel, si precio corruptus, metu compulsus, vel iussu alicuius potētis deprauatus, iniuste pronütiet, 11. q. 3. c. quicumque. Fori & iudicis incompetentia. Neglectus naturalis æquitatis, & ordinis processus. Conditio iudicis, ob quam reddi possit iudicium nullum: vt si sit surdus, mutus, furiosus, minor, infamis, seruus, inimicus Rei conuenti, familiaris & focius Actoris & Rei. Si procurator, assessor, & aduocatus in eadem causa, si testis excommunicatus, hæreticus, infidelis, schismaticus, periurus, illiteratus, imperitus fit, cap. omnes, de pœnitentia, & remission. Et omnia quibus iudicia soluuntur, vt, in criminalibus, lapsus biennij, & in ciuilib. triennij, l. properandũ,

Q 2

C. de

244 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
C. de iud. mors iudicis, status mutatio, sententia, transactio, solutio, satisfactio, prohibitio Superioris, litis pendentia in alio foro.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Duo sunt, quibus principaliter orbis regitur, *Aut horitas sacra Pontificum, & Imperialis ac Regia potestas.* Vnde, sicut civilium legum non, nisi civilis, esse debet executor: ita etiam Ecclesiasticarum, Ecclesiasticus iudex est administrator, c. sicut, 10. q. 1. & per tot. c. nouit, extr. eod.

In iudicij non est acceptio personarum habenda, c. in iudicio, de reg. iur. in 6.

In arbitrij utile est, habere iudicem fauorabilem & gratiosum, c. consuluit, extr. de off. deleg.

Iudicium dicitur bifariam coeptum: Primum per litis contestationem; & hoc quidem proprie: Secundum, improprie, per simplicem citationem, c. proposuisti, extr. de for. comp.

Instantia iudicij termino prorogata, non perit per lapsum illius termini inuatur regula hac tribus rationibus: 1. Quia iurisdictio ipsa est perpetua. 2. Quia & rescripta perpetua sunt: ergo virtute perpetuitatis eorum agi potest non, obstante lapsu temporis. 3. Ne quis ex malitia prorogans videatur inde commodum reportare, vnde foret puniendus, c. venerabilis, extr. de iud.

Iudicium iustum vel iniustum nequaquam vendere licet, c. non licet, 10. q. 3.

Is, qui agere, vel accusare intendit, prius consulere amicos & deliberare, an ei expediat agere? debet, c. de iudicij, 3 q. 3.

Accu-

Accusationem criminalem debet precedere charitatiua monitio, vt se emendet, c. 2. extr. de accusat.

Consultissimum est Christiano, vt ad componendum vel transigendum promior sit, quàm ad contendendum, c. per totum, dist. 9.

Contumax in non comparendo, vel non respondendo excommunicari potest, beneficio autem priuari nõ debet, c. 1. extr. eod.

Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent, sed Pralatorum iudicio disponuntur, cap. decernimus, extr. eod.

Episcopus potest clericum de crimine coram se confessum vel conuictum deponere, & curia seculari tradere. quod tamẽ precipitãter facere non debet, c. cum autem, & c. & si clerici, extr. eod.

Actor obtinens in possessorio coram iudice Rei, non tenetur coram eodem iudice, super proprietate respondere, si est prorsus alterius fori. Quia causa proprietatis cum possessione nihil commune habet, c. significauerunt, extr. eod.

Iudices de exceptionibus praiudicialibus & principali negotio simul cognoscere, vel lite non contestata, testes recipere, non possunt, c. exhibita, extr. eod.

Si actio & intentio actoris sint inepta, debet Reus absolui ab instantia iudicij, iterum tamen actor audietur, si apte egerit, c. examinata, extr. eod.

Vasallus coram domino feudi conueniendus est, etiã si dominus feudi sit Ecclesiastica persona: dummodo Actor possit suam iustitiam ibi consequi, aliàs iudex ordinarius adiri poterit, c. caterum, extr. eod.

Clerici ad seculare forum à laicis trahi non debent, etiam si Prælati illis iustitiam administrare non velint. nec valet consuetudo in contrarium, Clem. clerici, & c. qualiter, extr. eod.

Principales personæ non per Aduocatos, sed per se ipsas factum proponere debent. Nisi fortè sint ad eò indiscretæ, vt earum defectus de iudicis licentia per alios suppleri debeat, c. pastoralis, extr. eod.

Huic privilegio fori, cum non sit personale, sed collegio Ecclesiastico indultum, pactionibus priuatorum, aut iuramento illicito derogari non potest, c. si diligenti, extr. de foro comp.

Nomen actionis in libello exprimere Actor non cogitur: debet tamen factum ita clarè proponere, vt ex eo ius agendi colligatur, c. pastoralis, extr. eod.

Debitis solemnitatibus omisissis iudicium redditur frustratorium, c. causam, que veritur, extr. eod.

Excommunicatus in iudicio legitimam personam standi non habet, nisi contra agentem se defendat, c. intelleximus, extr. eod.

Iudex Ecclesiasticus potest per viam denuntiationis euangelicæ, seu iudicialis, procedere contra quemlibet peccatorem, etiam laicum, c. nouit, eod.

In causis etiam pendentibus beneficialibus, decimarum, matrimonialibus, & usurarum, & ipsas tangentibus, procedi potest simpliciter, & de plano, absque iudiciorum strepitu, & figura, cap. dispendiosam, Clem. eod.

LIBER SECVNDVS.
DE FORO COMPE-
tenti.

247

Titulus I I.

Continuatio.

Actor litigare volens competentem iudicē
adire, & aduersarium, cui iudicium dictan-
dum putat, in ius vocari petere debet, cap. 1. extr.
de iud.

Quid est Forus competens?

Forus dicitur exercendarum litium locus: a
fando dictus, siue Foroneo rege, qui primus Gre-
cis legem dedit. Et competens esse dicitur, in quo
Reus conuentus domicilium habet: vel aliās co-
ram illius fori iudice, tanquā competenti, con-
ueniri possit, c. vbiq; 13. q. 2.

*Qua est causa Efficiens competentie
fori, vel iudicis?*

Licet complures per Speculatorem, in tit. de
competent. iud. aditione, & Hostiensem, in tit. de
foro comp. recenseantur modi; quibus quis forū
fortiatur; quatuor tamen potissimū competentē-
tiam efficiunt: scilicet, domicilium, contractus,
delictum, & situs ipsius rei controuersæ. siquidē
vbi Reus domicilium habere, contraxisse, deli-
quisse, vel res sita, comperitur, ibi conueniri, nec
declinare Reus forum potest, d. cap. vbiq; 13. q. 2.

Quod Obiectum competentie iudicis?

Quælibet causa, siue de negotio aliquo ciui-
li agatur

Q 4

li aga

li agatur, siue de crimine, possessione, siue proprietate: omnesque iudiciales actus, & partes iudicij.

Quæ est Forma competentie iudicis?

Forma desumitur ex varijs modis, quibus competens iudex constituitur.

Quæ est Forma adeundi competentem iudicem?

Vt Actor per se, vel per procuratorem legitimum, tempore & loco congruis; nimirum diu, non noctu; iudice pro tribunali sedente, eat, libelloque porrecto, petat aduersarium in ius vocari, c. vxor, 17. q. 4. c. biduum, 2. q. 6. c. consuluit, extr. de off. deleg.

Qui sunt effectus Aditionis?

1. Purgat moram, & contumaciam non commissam; vt patet in condemnato, propter contumaciam, redeunte, iudice adhuc pro tribunali sedente, c. biduum, 2. q. 6.

2. Aditio facta ab aduersario potentiori dolo Actoris principalis substituto, pœnam Edicti, de alienatione iudicij mutandi causa facta, inducit, l. prohibere, §. fin. ff. quod vi, aut clam, & c.

3. Interrumpit præscriptionem, c. pastoralis, extr. de off. Ordinarij.

4. Aditio maioris iudicis excusat vocatum à maiore, c. si quis Episcoporum, 18. dist.

5. Aditio competentis iudicis liberat à multa, quæ non venienti infligi poterat, c. consuluit, extr. de off. deleg.

6. Facit

6. Facit, querelam in hæredem transire, qualitercunque denuntiatione, vel protestatione secuta, l. quemadmodum, ff. de inoff. testam.

7. Facit, stipulationem committi, & ad eundem puniri, l. si quis maior, C. de transf.

8. Facit, liberari quem ab officio suscepto, l. ei apud, §. 2. ff. de positi.

9. Plenioram securitatem præstat iudici, l. 3. ff. de pignoribus.

10. Tribuit potestatem manumittendi ei, qui aliàs non haberet, §. ea lege, inst. ex quibus causis manu.

11. Per eam expeditur actus adoptandi, & emancipandi, qui aliàs expediri non posset, l. 2. ff. de adop. l. 3. C. de emancip.

12. Per simplicem aditionem, vel postulationem alicuius, interdum suspenditur iudicium in causis criminalibus, & civilibus, & differtur, l. seruum quoque, §. publicè, ff. de procura.

13. Post simplicem postulationem restitutionis in integrum, nihil omninò faciendum est, l. vnica, C. de in integ. rest. postul. ne quid noui fiat, &c.

Quis finis Aditionis.

Vt is, quem Actor conuenire velit, per citationem solenniter vocetur, ad hoc, vt in iudicio coram competenti iudice compareat, Actorisq; intentionem libello compræhensam cognoscat.

Quid est Citatio?

☞ Citatio est, actus iudicialis, quo is, qui Reus asseritur, ad instantiam Actoris, per iudicem in iudicium, iuris experiendi causa, venire iubetur.

Q 5

Siqui-

Siquidem in ius vocare alibi dicitur: iuris experiundi causa, alicui diem dicere. quod olim sine Apparitore fiebat: sed qui ad Prætozem, iuris experiundi causa, venire recusasset, duci, & obtorto collo rapi, etiam inuitus, ab Actore poterat, addeò, vt Nonius Marcellus hoc loco, Vocare, positum, pro trahere, & ducere, annotarit. Vnde Horatius: Rapit in ius, clamor vtrinque, vndiq; concursus. Et inde quoque est, quod actio, interprete Theophilo, ad prin. tit. de act. instrum. ab agendo, hoc est ducendo, nomen habeat.

Quot sunt Citationis partes?

Secundùm Socinũ sunt tres, in tract. de citat. art. 4. Iussus iudicis, Vocatio verbalis per Apparitorem facta, & eiusdem Relatio. quæ nisi exactis appareat, citatio nullius momenti est, Spec. de citat. §. sequitur. nu. 11.

Quot sunt species Citationis?

Sunt tres: vocalis, literalis, & realis. Vocalis est, quæ fit viua voce, vel per nuntiũ, vel per partem, vel per notarium, argumento, c. circuncelliones, 23. q. 5. & c. parati, extr. de appel.

Item, vel ligno dato per præconem, vel campanam, vel tubam: quæ tunc demum vsurpantur, si Reus se ita absentet, vt nullibi offendi possit, Maranta, parte 6. c. de citat. num. 98.

Literalis est: cùm quis per iudicem in scriptis vocatur. quod fit vel ad domum citati, vel, si copiam suã non faciat, in publico affixis citationis literis, Felin. in c. quoniam, §. porro, extr. vt lite non contest. Et hæc citatio propriè vocatur edictalis: quæ quib. casibus fiat, vide And. Geyl. obser. 57. lib. 1. pract. obser.

Realis

Realis est: cùm persona citanda, de fuga suspecta, realiter apprehenditur, & ad iudicem ducitur. Licet enim ius vetus, de ducendo Reo, abolitum fuerit, quasi vtilius, vt legitimè per iudicem euocarètur, quàm ab ipsis Actoribus, tædio diuturnæ latitationis fatigatis per vim eriperètur: tamen hoc casu, ob suspicionem fugæ, Reiq; legitimè citati non comparentis contumaciam, haud iniuste Actor, qui forsitan alia via suum cõsequi non possit, excusatur. Et hæc citatio per capturam prima esse non debet, nisi in maleficijs, & propter suspicionem fugæ, auth. vt nulli, §. si quis verò, &, l. ait prætor, §. si debitorè, ff. de his quæ in frau. cred.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, iussus iudicis tam Ordinarij, quàm Arbitri, & Delegati. Quia mandata in iurisdictionem absque citatione exercere nõ possunt. Ergo etiam videtur Delegatis concessa, c. si clericus de sententijs excommun. lib. 6. l. cùm dies, ff. de arb.

Quod Obiectum?

Omnes lites & causæ, quarum definitio iudicis discretioni & examini subijcitur, actusq; singuli causarum, de quibus iudex cognoscit, c. Romana, de appellat. in 6.

Quæ autem persona citari debeat? Et notandum, in ius vocari omnes, quorum interest, vel quorum causa agitur, etiam si sint præsentia, exce.

exceptis in edicto Prætoris compræhensis personis, ff. de in ius vocando: quæ citari non possunt, nisi impetrata iudicis veniâ, de quibus l. 4. ff. de in ius vocando, & l. 2. C. eod. Procurator etiam, qui litem contestatus est in causa, ipse ad singulos actus citari debet, non dominus, aliàs, si citetur dominus, non valet processus: nisi procurator impeditus esset, Mynsing. obser. 39. cent. 2. & Panor. & Felin. c. penul. extr. de testibus.

Quæ Forma?

Forma citationis est, vt tribus edictis, interuallo decem dierum discriminatis: vel vno peremptorio, quod tantum temporis, quantum tria edicta, continet, ex causa necessaria, puta, propter distantiam viarum: vel, si res celeritatem desideret, fiat, c. cum ex literis, extr. de in integr. rest. c. cum dilecti, extr. de dolo, & cont. c. 1. extr. de dilat. Hac ratione, vt iudex apparitori, seu præconi præcipiat, vt Reum mandato suo citet, & ad instantiam Actoris tali die, hora, & loco, compareat, petitioni responsurus. Literalis autem citatio hæc sequentia continere debet. Quis citat, eius nomen, & cognomen: Quem, & super quo, & ob quam causam, vbi, quando, ad quem, & ad cuius instantiam citat. Quod per se, vel legitimū procuratorem idoneum, & ad causam sufficienter instructum compareat. Debentq; hæc citatorie literæ sigillo proprio iudicis, vbi per manum publicam non fuerint scriptæ, esse munitæ, Specul. §. iam de citatione, Clem. pastoralis, de re iudicata, Panor. in c. cum olim, extr. de sententia, & re iudic. & And. Geyl. obser. 48. & quinque sequentibus obseruat. lib. 1. præct. obseruat.

Quæ

Quæ causa Procatartica?

Causa procatartica est, petitio & instantia litigatoris, c. significasti, extr. de foro compet. in verbo, petitionem.

Quis Finis?

Finis est, vt Reus in iudicio compareat, causamque suam defendat, d. c. significasti, eod.

Qui sunt Citationis Effectus?

1. Quod citationes sint omnium iudiciorum instituendorum principium & fundamentum, sine quibus omnia, quæ aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur, viribus carent. Nã, neque civilis, neque naturalis ratio quenquam indefensum iudicari permittit, Clem. pastoralis, eod. c. cum inter, extr. de maio. & obed.

2. Operatur præuentionem. Vnde, is qui incipit debet formare processum, l. 2. de requir. Reis. Quia ex pluribus iudiciis melior est conditio præuenientis, Speculat. de citat. §. fin. vers. item pone.

3. Interrumpit longi temporis præscriptionem, quod tamen de reali citatione non intelligitur, sed de alijs citationis speciebus, Socin. de citat. art. 30. num. 31. Bald. de citat. vers. nunquam tamen legi, &c.

4. Perpetuat iurisdictionem & actionem.

5. Suspendit iudicis potestatem, per interuallum termino datum.

6. Inducit litis pendentiam. Ad illum tamen effectum inducendum sex debent interuenire:

1. Quod citatio emanarit. 2. Quod à competen-

te iu-

te iudice. 3. Quòd ad citatum peruenerit, aut per eum non steterit, quòd minùs perueniret. 4. Quòd ex tenore citationis plenè cognoscere potuerit citatus, qua de re sit còtrouersia. 5. Quòd citatio sit apta. 6. Quòd nuntius eam legitime & sufficienter insinuauerit: vt notat Mynsing. obser. 26. cent. 4. per Clem. cù lite, tit. vt lite per nihil innouetur.

Quæ Pugnantiæ?

Vitium seu defectus causæ efficientis. Vitium Materiæ, & vitium Formæ. Ratione causæ efficientis: vt si Apparitor iussum iudicis non habeat vel habeat quidem, sed iudex sit incompetens, ob fauorem, gratiam vel odium suspectus, inimicus, c. quia suspecti, 3. quæst. 5. Vitium materiæ dicitur, si citatio continet euidenter iniustum vel iniquum, vel impossibile, c. præterea, extra de dilatio. quod esse potest pro ratione iudicis: vt quia citat non subditum, vel clericum, vel exemptum, hoc expresso, quòd sit exemptus.

2. Ratione Actoris: vt si Iudæus petat mancipium Christianum, vel bigamus beneficium, vel laicus ius decimarum, vel monachus vxorem.

3. Ratione Rei còuenti: vt si citatur, morbo, vel vi detentus, cognito impedimèto, vel si sit Consul, Prætor, Magistratus, Episcopus, dum sacra facit: vel ducens vxorem. Vitium Formæ committitur: vt si iudex citet ad locum suæ iurisdictioni non subiectum, vel, si sit pestilès, incertus, vel ultra duas diastas à finibus diocœsis, vel inhonestus: vel si in citatione dies non fuerit præfixus, nomen Actoris, vel Rei, non expressum: si

termi-

terminus admodum brevis fuerit, intra quem comparitionem fieri impossibile sit: si noctu vel die feriata citetur, Bald. in tract. de citat. §. citatio est. Ex quibus patet, citationem ex iudicis litigantiumque qualitate, loci conditione, temporis ratione, citandiq; forma, vitari.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Omnium iudiciorum instituendorum principium & fundamentum sunt citationes: sine quibus omnia, quae aduersus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, non subsistunt, Clem. pastoralis, eod.

Neque naturalis, neq; civilis ratio quemquam indefensum iudicari permittit.

Parentem, patronum patronam, liberos, & parentes, patroni, patronaque in ius, nisi venia prius impetrata, sub poena 50. aureorum, vocare non licet, c. Episcopus qui mancipium, 17. q. 2.

Quatuor sunt capita, ex quibus inualiditas citationis oritur, scilicet, persona qualitas, loci conditio, temporis ratio, & forma citationis.

Legitime citatus, licet postmodum alterius fiat iurisdictionis, quasi praeuentus, ius reuocandi domum non habet. Ratio est: quia per solam citationem perpetuatur iurisdicctio tam Ordinarij, quam Delegati, c. proposuisti, extr. eod.

Spoliatus ante omnia est restituendus, nec tenetur ad citationem factam in iudicio comparere, priusquam restituatur, c. 1. & c. prius, 3. q. 2.

Diebus feriatis, nisi vel necessitas cogat, vel pie-

tas suadeat, etiam consentientibus partibus, processus habitus nullius momenti est, argument. c. utinam, dist. 7. b. & c. nunquam, dist. 5. l. 1. ff. de damno infecto.

Discretus iudex in assignatione peremptorij non debet iurisdictionem suam, nisi necessitas urgeat, ad edocendum, c. consuluit, extr. de off. deleg. c. appellatore, 2. q. 1.

Episcopus ut suspectus recusatus, de cuius suspicionem notorie constat, potest dare delegatum partibus non suspectis: cuius sententiam poterit per se executioni mandare, c. si quis, extr. eod.

Generale est, ut Actor sequatur forum Rei, c. experientia, 11. q. 1. c. si clericus, de foro compet.

Laicus à laico coram iudice seculari, non autem Ecclesiastico, conveniendus est: quod usque ad edocendum obtinet, etiam si alteruter litigantium ab Apostolica sede literis ad Ecclesiasticum iudicem impetrauerit, irrita sint, c. inanes, c. licet, eod.

Priilegiatus ut non teneatur respondere, nisi in certo loco: si in alio loco vel respondere vel solvere promittit, ibi poterit conveniri, c. dilecti, eod.

Quisque clericus potest in curia Romana conveniri, licet aliàs specificè forum ibi non sortiatur: habet tamen ex causa ius revocandi domum, c. licet, extr. eod.

Si à iudice seculari denegetur iustitia: vel consuetudo loci sit, vel calamitas personarum adire Ecclesiasticum forum suadeat: vel causa talis sit, quod edocendum pertineat, ut est matrimonij, simoniæ, adulterij, usurae, periurij, etiam à laicis iudex Ecclesiasticus ad eundem est, cap. si dilectus, cap. licet, & ibi glos. cap. ex tenore, cap. ex parte, extr. eod.

Cleric

Clerici habent priuilegium, ne coram iudice laico cōueniri possunt: cui priuilegio, cum non sit personale, sed collegio Ecclesiastico inductum, pactionibus priuatorum, vel iuramento illicito renuntiari non potest: in iudicem tamen Ecclesiasticum, non suum, possunt consentire, accedente consensu diocesani, c. placuit, 11. q. 1.

DE LIBELLI OBLATIONE.

Titulus III.

Continuatio.

IN termino comparente Reo citato, Actor actionem edere, hoc est, libello complecti suam intentionem debet: Cuius copia facta ipsi Reo, an cedendum liti, vel cōtendendum actione? is deliberare possit: & si litigandum existimet paratior exceptionibus, & defensionibus iure sibi competētibus ad iudicium veniat, 3. q. 3. c. induciae, §. offertur.

Quid est Libellus?

Libellus est, scriptura breuis intentionem, causam, & petitionem Actoris continens, contra aduersarium necessariò concludens, c. fin. extr. eod. l. ampliorem, C. de appell. §. 1.

Vnde dicitur Libellus?

Libellus dicitur à libro, est enim diminutiue dictum, propter sui breuitatem: Sicut & codicillus à codice diminutiue dictus est, Specul. tit. de libel. concep. §. libellus.

R

Quot

Quot sunt partes?

Sunt tres, causa, obligatio, & actio. Causa dicitur, quæ in ipso facto, ex quo ius oritur, consistit, l. certi conditio, ff. si cert. petat. Obligatio est, quæ ex ipso facto descendit, & dicitur iuris vinculum. Actio dicitur ius persequendi id, quod iure sibi debetur; & est obligationis effectus.

Quot Species?

Sunt duæ. Quandoquidem alius est accusatorius, siue querimonialis, alius postulatorius, siue conventionalis. Accusatorius dicitur, qui in criminalibus per inscriptionem. Postulatorius, qui in ciuilibus, offertur, 2. quæst. 1. c. legum, c. 1. & 6. fin. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens, est autoritas legis sancientis libelli oblationem, auth. offeratur, C. de infra. Olim enim, qui aliquem in ius vocasset, edere actionem ei debebat, vt perinde sciret Reus, vtrum cedere vltra, an contendere deberet? l. 1. de eden. Hodiè verò, post formulas & impetrationes actionum sublatas, l. 1. C. de form. & c. in locum editionis introduxit lex libelli oblationem. Debet autem iudici, vel etiam Reo non petenti, ab ipso iudice, vel Actore, pro loci consuetudine, offerri, c. 1. extr. eod.

Quod Obiectum?

Quælibet causa, tam ciuilis, quàm criminalis, tam petitoria, quàm possessoria, iure tamen antiquo

antiquo in ciuilibus libellus regulariter necessarius non erat, nisi in conuentione illustrium personarum, l. quoties, C. de dignitat. lib. 12. In criminalibus verò contrà, quia inscriptio requirebatur, siue publicum, siue priuatum esset. Hodie autem & in ciuilibus libellus offerendus est, exceptis quibusdam casibus:

1. Si res, de quibus agitur, sint modicæ, vt longiorem indaginem non poscât, c. si quis cum clerico, & ibi glos. 11. q. 1. Nam id genus causarum iurifurandi delatione, vel ex pactioe ipsorum litigatorum, vel ex iudicis auctoritate dirimi, & consopiri solet, l. 1. ff. de iureiurando. Quæ autem modicæ causæ sint? consuetudine fori dijudicandum est. censentur tamen interdum vsque ad quinquaginta solidos, l. 1. C. de defenso. ciuitat. interdum vsque ad decem libras auri, vt in auth. de appellationibus, §. illud, col. 4. nonnunquam vsque ad quinque aureos, l. diuus Adrianus, ff. de bonis dam. interdum vsque ad duos aureos, l. x. id est, ff. de dolo: aliquando vsque ad centum aureos, authent. de iudicijs, §. si quis autem, col. 6. Minimæ causæ autem esse dicuntur, quarum æstimatio ad sumptus iudiciales non sufficeret, authent. de appellationibus, col. 4.

2. Libellus non offertur in causis, in quibus proceditur simpliciter, & de pleno, sine strepitu & figura iudicij: cum sufficiat petitionem Actoris viua voce factam actis inferere, Clem. sæpè, ver. verum, de verb. significatione.

3. Si causæ non sit tanta præstantia, vt intentionem

R 2

intentionem

entionem Actoris libello cōplecti suadeat: sed etiā sine scriptis de ea cognosci possit; hoc enim casu, consensu partium, libellus omitti potest, l. vlt. C. de priuil.

4. Quando non agitur in modum inquisitionis aliquo denuntiante, cap. cūm olim, extr. de testibus.

5. Si Episcopus cognoscit de causa ciuili inter clericos sibi subiectos, c. si quis, 2. q. 1.

6. Excipiuntur omnes illi casus, in quibus testes recipiuntur, lite nō contestata: Et illi, in quibus audientia denegatur, Speculator in §. in quibus, vers. generaliter, de libelli concep.

7. Quando aliquis de necessitate iuris prosequitur accusationē, sicut hæres, qui tenetur vindicare necem defuncti, l. tutorem, ff. de his quibus vt indig.

8. Si agatur de leuibus criminibus. Leuia crimina sunt, vt abigeatus, furta domestica, & modica, & iniuriæ verbales.

9. Quando officium iudicis, quod actioni deseruit, imploratur.

10. Cūm postulatur cautio damni infecti: Et hoc, quia desiderat celeritatem, vel quia iudicis officio expeditur, l. 4. ff. eod.

11. Quando de possessione litigatur quocunque modo, & hoc propter sui vilitatem, l. momētaria, C. vnde vi.

12. Quando agitur actione in factum, quæ ex re iudicata descendit, l. actori, C. de reb. cred. Sunt & alij casus per Specul. §. in quibus tit. de libelli concep. relati, sed hæc notasse hoc loco sufficiat.

Quæ

Quæ forma Libellorum?

Forma Libellorum certa præscribi non potest, cum, iuxta cuiuslibet curiæ stylum & consuetudinem sint concipiendi, Specul. lib. 4. par. 1. tit. de libelli concep. iure tamen communi exprimere debet, non solum agentis & conuenti nomen, sed & ius dicentis, & petitiæ rei & actionis qualitatem. Non est tamen necesse conceptis verbis actionis nomen, præsertim iure Canonico, in libello exprimere, c. dilecti, extr. de iud. vbi Pan. num. 12. & Dd. in l. 1. ff. de edendo. Et si personali experiundum actione, causa exprimenda est, non quidem proxima, sed remota, quâ quasi medio concludendi, nititur actio instituta. in actione personali causa proxima, est obligatio, remota autem, contractus: in reali autem actione, causa proxima, est dominium, remota verò, ipsum factum, ex quo dominium, vel ius agendi descendit: in qua actione alterutram causam exprimere licet, alioquin nec conuentus respondere tenebitur, & iudex libellum legitimam conuentionis formam non continentem conserpere & destruere potest. Vnde dicitur:

Quis, quid, coram quo, quo iure petatur, & à quo:

Rectè compositus quisque libellus habet.

Quæ omnia si continebit in modum syllogismi, necessariò contra aduersarium concludit. Hinc etiam est, quod libellus syllogismus iuridicus dicatur. siquidem in primis, tanquam pro Maiore, continet: Quis petat: à quo? & coram quo? id est, nomen actionis Rei & iudicis, subinde pro Minore continet causam agendi, id est, actionem

R 3 sive

siue petitionem cum narratione facti, id est, quo iure petatur. Vltimo loco subnectitur conclusio inferens conclusiuam petitionem, qua Actor concludit petendo, meritò ex præmissis Reum sibi fore condemnandum, non tantùm in principali causa, verùm etiam in expensis.

Porrò in libello concipièdo, tria potissimùm Actor curare debet: 1. Vt sit dilucida & breuis. Ratio est. Quia fatiùs est, ob euitandam probandi difficultatè, pauca utiliter proponere, quàm multis inutilibus aures iudicum fatigare, & in labyrinthum, quo se non facilè extricabit, conijcere, l. tantùm, C. de veteri iure enucle. Accedit, quòd, propter obscuritatis vitium, nisi declaratio litis contestationem præcedat, processus iudiciarius corruat, Spec. de libel. concep. §. vltim. vers. cautus. 2. Vt in eo ponantur necessaria & utilia, quæ scilicet probata Actoris iuuent intentionem, c. examinata, extr. de iud. 3. Vt narratio sit generalis, vt in processu Actor habeat plures vias & diuerticula ad intentionem suã stabilendam, Speculat. d. loco.

Quis Finis?

Finis est triplex: 1. Vt libello ius Actoris, causaquè agendi declaretur. 2. Vt Reus ita instruat, quo consilium an cedendum liti, vel contendendum in actione? capere possit. 3. Vt sciat iudex, qualiter debeat formare sententiam, quæ secundùm petitionis formam ferenda est. Vnde dicitur, sententiam debere esse conformè libello, quod verum est, non tantùm in re, sed etiam
iam

iam causa & actione, Bald. in l. 1. C. si plures vna
sententia, &c.

*Qui Effectus oblationis Li-
belli?*

1. Secundum petitionem in libello factam for-
matur sententia, c. qualiter, extr. de accusatione.
2. Facit rem litigiosam, secuta per executorem
denuntiatione, c. quia res, 11. quaest. 1. 3. Perpetu-
at actionem annalem, si Princeps ad eum rescri-
bat, l. 1. & l. 2. C. quando libel. prin. dat. 4. Obli-
gat Actorem, ad finem perducere causam, auth.
qui semel, C. quomodo & quando, &c. 5. Inter-
rumpit prescriptionem, etiam si nullam causam,
vel saltem vnam, ex omnibus, contineat, l. sicut,
C. de praescript. 30. &c. l. ex multis, C. de annali
except.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

In qualibet actione vtrunque causam, remotam, sci-
licet, & propinquam, exprimere licet, sufficit tamen, quod
in reali propinqua causa, scilicet, dominium, in personali
verò remota, nimirum contractus, vel quasi, exprimat. Ratio est. Quia realis actio vniformis est, ideoque causam
propinquam exprimi sufficit in libello: sed actio persona-
lis diuersa natura & qualitatis est, cum alia sit bona fidei,
alia stricti iuris: quare remotam causam exprimi neces-
se est.

Effectus huius doctrinae. Si in reali actione causa
remota omissa sit, omne ius suum in iudicium deduxisse
videtur Actor: Et sic quaecunque causam probauerit, obti-
net, c. cum Ecclesia, extr. de causa possess. & proprietat.

R 4 quod

quòd si autem in probanda causa deficiat, & Reus absol-
uatur, obstabit Actori iterum in rem agenti rei iudicata
exceptio l. & an eadem, §. actiones, ff. de except. rei iud.
Econtra, non obest rei iudicata exceptio, si assignata re-
motà a causa vel in rem, vel in personam agens succubuit.

Non tenetur Reus respondere libello, in actione perso-
nali, si non exprimaturs causa petendi, c. dilecti, extr. eod.

Nomen actionis in libello exprimere Actor non cogi-
tur: debet tamen ita clarè proponere, vt ex eo ius agendi
colligatur, c. dilecti, extr. de iudicij s.

In vniuersalibus & generalibus iudicij s, licet, vsque
ad Sententiam, addendo & detrahendo, emendare libel-
lum, l. 4. ff. de petit. hered.

In singularibus emendatio in re petita, vsque ad sen-
tentiam, conceditur: quòd obtinet, si addendo corrigat,
quòd si autem detrahendo, correctio quidem admittitur
etiam vsque ad Sententiam; sed si ab aduersario, post li-
tem contestatam cautionem exegerit Actor, iuxta nor-
mam vnic. c. de plus peti. & dein detrahere velit, nisi
hoc faciat ante acceptam iudicium, pœnam legis non ef-
fugiet.

Si emendatio, siue addendo, siue detrahendo, respici-
at substantialia libelli, ante litem contestatam impunè
fieri potest: non etiam postea. quòd generaliter procedit,
tam in criminali, quàm in ciuili causa.

Circa qualitates principales, ante litem contestatione,
tantum emendari libellus potest, post non: sic enim muta-
retur actio, seu facti substantia, Zas. §. sin minus, Inst.
de act.

Circa qualitates aduenicias correctio vsque ad Sen-
tenti-

temiam admittitur, l. in delictis, §. si contracta, ff. de no-
xa. Sunt autem aduentitia qualitates, quae nec vitiant,
nec mutant libellum: sed huic praeter necessitatem adijci-
untur.

Mutatio libelli regulariter ante litis contestationem,
non potest, admittitur: quibusdam casibus exceptis, quos
notant Dd. in l. edita, C. de edend. Quia licet contestan-
do quis instans, ex proprio contractu, adstringitur, l. 3.
§. idem ff. de peculio.

Homo rectus factus est, sed seipsum, propter suam ma-
litiā, in finis subiecit quaestionibus, cap. omnis aetas, 12.
quasi. 1.

Mutari dicitur libellus, si res prius per aliquam actio-
nem petitam, nunc peto per aliam, Specul. lib. 4. §. nunc
ostendamus.

Libellus non continens causam agendi, nomen Acto-
ris, vel Rei, vel aliquo alio vitio Forma laborans, iure non
subsistit, Spec. lib. 4. de libel. concep. §. fin. num. 1.

DE MUTVIS PETITIO- nibus.

Titulus IIII.

Continuatio.

AB Actore libello oblato, si Reus contendē-
dum existimet, nec habeat exceptiones iu-
re sibi competentes, quibus Actoris inten-
tionem confundere possit, vicissim Actorem ra-
tione rei, vel alicuius negotij obligatum apud

R 5 eundem

266 ANALYS. IURIS PONTIFICII
eundem iudicem, ne continentia iudicij diuida-
tur, reconuenire potest.

Quid est Reconuentio?

Reconuentio est, petitio Rei conuenti apud
iudicem conuentionis principalis, contra Acto-
rem, per vicissitudinem instituta, auth. & conse-
quenter, C. de sententijs & interlo.

Quæ causa Efficiens?

Est Reus conuentus, intercedente lege, quæ
coram eodem iudice inter Actorē & Reum mu-
tuas petitiones proponi introduxit. Cùm æqui-
tati consentaneum sit, cuius in agendo quis ob-
seruat arbitrium, eum habere etiam contra se iu-
dicē in eodem negotio non dedignetur, c. accusa-
tores, §. cuius in agēdo, 3. q. 8. c. 1. & c. 2. extr. eod.

Quod Obiectum?

Quælibet causa, in qua ad rem, vel ius, vel ex
obligatione debitum, aliquid agi potest. Vnde
in criminalibus reconuentio non permittitur, &
neganda, 3. quæst. 11. Quia non relatione crimi-
num, sed innocentia Reus purgatur, l. is qui, ff.
de publicis iud. Nec in præiudicialibus actioni-
bus, quæ licet à Reis vicissim proponantur, ta-
men cum petitione Actoris tractari nõ possunt,
c. 1. extr. de extraord. cognit. Nec in spiritualib.
Ratio est. Quia de his laicus nõ potest cognosce-
re, vt est causa iuris patronatus, decimarum, ma-
trimonialis, & huiusmodi, c. decernimus, extr.
de iud. c. tua, de decimis, cap. relatum, §. ad hoc,
de iure patro. cap. grauem, extr. de excel. prælat.
Nec

Nec in quæstione spoliationis, quâ proposita, non habet locum reconuentio; nisi alia sit spoliatio, cap. super, extr. de ord. cogniti. Nec excommunicatus reconuenire potest, licet vti possit defensione, recusatione, & appellatione, cap. cùm inter priorem, extr. de exception. Nec in possessione momentaneæ possessionis: nam si pupillus agit contra me, Vti possidetis, vel, Vnde vi, vel, Quod vi, aut clam, nō possum cum reconuenire, l. vlt. C. qui leg. perso. itan.

An autem in causa appellationis locum habeat reconuentio? Respondet Speculator, tit. de reconuention. §. nunc dicamus, numero sexto. Quod non probat l. 2. §. legatis, ff. de iudicijs. Quod intelligitur de eo, qui de causa iudicialis appellatiōis tantum cognoscere potest, de quo, antequam pronuntiet, dubium est, an sit iudex inter partes? cap. vt debitus, extr. de appellation. corameo verò, qui cognoscit de pronuntiatione, vel de tali appellatione extrajudiciali, in qua venit cognitio negotij principalis: putà, cùm appellatur super prouisione huiusmodi, cap. statuimus, extr. de election. bene potest reconuentio fieri, cùm sit certum eum iudicem partium esse, cap. accusatores, §. cuius in agendo 3. quæst. octaua, talis enim appellatio, est citatio ad causam. Denique coram laico reconuentioni non est locus, cap. cùm dilectus, extr. de arbitr. Quod intelligas, nisi plenum compromissum factum sit de omnibus cōtrouersijs, quæ inter Actorem, & Reum sunt: tunc enim non aliter auditur Actor, nisi se defendat, & reconuentione Rei respondeat,

l. si

l. si cum dies, §. plenum, ff. de arb. & l. non distin-
guemus, §. sed & compromissum illud, eod.

*Quæ Forma Reconventionis in Contestatione?
& quomodo in ea procedatur?*

Libello ab Actore oblato, Reus, si eum velit reconuenire, porrigat similiter ante litem contestatam libellum reconventionis: & deliberatione super utroque hinc inde habita, fiat primò litis contestatio super libello Actoris, & consequenter super libello reconventionis. Pari ratione in delatione iuramenti, probationibus, alijsq; actibus, obseruandum: ita quòd in vna eademq; die vtraque quæstio, quasi vna sententia, concordia, vel iudicio terminetur, extr. eod. c. 1. & c. 1. de causa possess. & propriet. c. cum Ecclesia, & c. dilectus, iuxta regulam: Qui prior appellat, prior agit, c. 2. extr. de ord. cog.

Et notandum hoc loco: quòd reconuentio generaliter fieri possit, antequàm in petitione Actor litem contestatus sit, postea verò nunquam, nisi libellus reconventionis sit antea porrectus: vel nisi protestatus fuerit de reconuentione facienda, c. per totum, extr. de mutuis petit. Licet Specular. etiàm post litis contestationem, reconuentione fieri putet, per c. 1. extr. eod. per verb. & responsione facta. Sed eius opinio, quasi nulla ratione euidenti fulta, non est recepta.

Quis Finis & Effectus Reconventionis?

1. Vt iudex vtranque causam, & conuentionis &

nis & reconuentionis vna sententiâ definiat. Quæ sententia licet non vna sit, sed duæ, varietate causarum inspecta, quæ simul feruntur super duabus quæstionibus, sese minimè contingētibus, & etiam si se contingant, putà, quia agitur petitorio, & possessorio super eadem re: tamen vna & eadē sententia dicitur, propter temporis continuatiōnem, Speculat. tit. de reconuent. §. videndum num. 4.

2. Quòd Reus conuentus impunè non respondeat petitioni Actoris, si is Rei conuenti per reconuentionem institutæ petitioni respōdere denegat, c. imperatorum, & c. fin. extr. de iuramentum calum.

AXIOMATA.

Quotiescunque vel per citationem, vel per libelli obligationem Actoris perpetuata est actio, toties reconuentionem Reus inchoare potest, c. cuius, 3. q. 8.

Non debet Actori licere, quod Reo non licet, 4. quæst. 4. cap. 2.

Non solum coram Ordinario, sed etiam Delegato reconuentionem admittitur, c. dispendia, de resc. in 6.

Vno & eodem tempore non est quis trabendus ad diuersa iudicia, c. fin. extr. de resc.

Qui prior appellat, prior agat, cap. cum dilecti, extr. de ordi. cog.

Clericus, ante litem contestatam, coram seculari iudice, potest à laico reconuermi, nisi sit causa spiritualis, vel alia, quæ coram Ecclesiastico iudice sit tractanda, c. decernimus, extr. de iud. c. tua, extr. de decimis.

Reconuentionem fieri potest apud quemlibet iudicem, co-

ram

270 ANALYS. IURIS PONTIFICII
tam quo fit conuentio principalis: non autem coram
bitro, qui non potest iudicare, nisi de his, qua in compro-
misso continentur, c. cum dilectus, extr. de arb. d. c. accu-
satores, 3. q. 8.

Cuius quis in agendo obseruat arbitrium, eundem
habere iudicem se in eodem negotio dedignari non de-
bet, d. c. accusatores 3 q. 8.

Causa conuentionis & reconuentionis eadem cau-
dici potest, eo quod idem iudex, ijdem litigatores, eadem
instantia, & vna sententia determinanda. Accedit, quod
prohibita appellatione in conuentione, prohibita etiam
in reconuentione censeatur, c. cum dilectus, extr. de ordi-
cog. & c. 2. eod.

Iudex, qui non potest per modum conuentionis de cau-
sa cognoscere, consequenter, nec per modum reconuen-
tionis potest, c. si diligenti, extr. de foro comp

DE LITIS CONTESTA- tione.

Titulus V.

Continuatio.

Litis contestatio, cum sit principium & fun-
damentum iudicij, qua omissa, iudex, quasi
potestate iudicandi destitutus, causamq; contro-
uersam ignarus, non possit ad eius definitionem
procedere; litigatores illam nec expressim, nec ta-
cite praetermittere debent, per Afflic. decis. 2. 83.
nu. 4. & Rotam, decis. 88. num. 1.

Quid est Litis Contestatio?

Litis contestatio, est principalis negotij, apud
com-

competentem iudicem, facta narratio, & ad eam
secuta responsio, c. vnico, extr. eod. c. dudum, ex-
tr. de elect.

Quæ causa Efficiens?

Interlocutorium iudicis, & declaratio ani-
mi contestandi litem, c. prout, extr. de dolo, & cõ-
tum. c. penult. extr. de iuram. calum. Vnde Azo
litis contestationem tunc demum valere existi-
mat, quando ea mente fit, vt in ea procedatur: &
protestans, se dicere animo, non contestandi li-
tem, licet postmodum vltius in responsione,
vel in narratione facti negando procedat, non ta-
men litem contestari. nec obest, si dicatur, prote-
stationem facto repugnantem non iuuare prote-
stantem, c. cum M. Ferrariensis, extr. de confit.
illud enim verum est, quando ordinatur ad tol-
lendum factum, facta enim, pro infectis haberi
non possunt: sed si protestatio ordinetur ad tol-
lendam mentem facto, tunc benè operatur, In-
nocent. c. vni. extr. de litis contest. Mynsing. ob-
seru. 74. cent. 3. Speculat. eod. tit. §. nunc dicamus,
num. 14.

Fit autem litis cõtestatio per principales per-
sonas, si sunt tales, quæ possint in iudicio esse, vel
etiam per eorum procuratores, per tutores, cu-
ratores, syndicos, vel actores, c. cum ad sedè, extr.
de restit. spoliat. c. prout, extr. de dolo & contu,
c. cum causam. extr. de iuram. calum. Fit quo-
que litis contestatio per confessionem aduoca-
ti, etiam illicitam, nisi fuerit reuocata, c. cum cau-
sam, extr. de appellat.

Quæ

Quæ Materia litis Contestationis?

Sunt omnes causæ, tam ciuiles, quàm criminales in iudicium deductæ, de quibus non de plano, absque figura iudicij, sed processu iuris habito ordinariè cognoscitur. Is enim cui committitur causa, vt in ea summarie, vel simpliciter, & de plano procedat, debet, neglecto iuris ordine procedere: ita vt statim deueniatur ad testium examen & diffinitiuam, lite non contestata, vel libello exhibito, ita docet Lanfran. in Clem. sæpe, verb. de plano, num. 7. de verb. sign. Mynsing. obser. 70. cent. 3. Et hoc differt Delegatus ab Ordinario, quòd, si Delegato causa delegetur, cum clausula, Vt simpliciter, & de plano procedat, præcisè seruari teneatur formam rescripti & commissionis, ita, vt non possit iure ordinario, etiam partibus volentibus, procedere: Secus autem in Ordinario; eius enim volûtati relictum est, num summarie in casibus iure notatis, vel iuris ordine seruato, procedere velit. Vtrunq. n. etiã partibus, vel alterutra parte inuita, ei concessum est, Bart. in tract. suo ad reprimendam, & Clem. sæpe, de verb. fig.

Causæ, in quibus solennis iudiciorum ordo non seruatur, notantur in Clem. dispendiosam, de iud. Et sunt, causæ beneficiales, Ecclesiasticæ, causæ decimarum, causæ vsurarum, & causæ matrimoniales: Et aliæ his quatuor annexæ & accessorie. Vt sunt causæ super electionibus, collationibus, promissionibus, præsentationibus dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, &c.

In

In quibus igitur causis simpliciter, & absque figura iudicij, proceditur, in ijs nec libelli oblatio vel litis contestatio necessaria est, quod Socin. in c. quoniam, extr. Vt lite non contestata, eleganter ostendit. Sic quoque, processus in causis appellationum, ob omiffam litis contestationem non vitiatur: si modò in prima instantia litis contestatio fit facta. Nam effectus litis contestationis, durat post sententiam, in causa appellationis, nec per appellationem extinguitur, aut suspenditur, per tex. in c. per tuas, extr. de appellat. & ibidem Innoc. & Rot. decis. 207. & 668. Tamen in Camera imperiali regulariter in omnibus causis ad Cameram, per appellationem, deuolutis, litis contestationem necessariam esse indistinctè, tam in interlocutorijs, quàm diffinitiujs, nec sufficere litis contestationem in causa principali semel factã fuisse, tradit And. Geyl, obser. 76. li. 1. pract. obseruat. ex ordinat. par. 3. tit. 32. §. 4. contra tradit Mynsing. obser. 1. cent. 1.

Quæ Forma litis contestationis?

Forma est, vt per Actorẽ petitio in iure, id est, coram iudice competenti, libello compræhensa proponatur: & per Reum post transactas, ad deliberandum, inducias, vel loco eius, legitimum defensorem, Responso congrua, per verba: (Negotio narrata, prout narrantur, & dico petita fieri non debere) animo contestandi litem fiat, c. offeratur, 3. q. 3. c. 1. extr. eod. Quòd si autem Reus dixerit: Negotio narrata, vel: Negotio petita, litis contestatio non fit, secundùm Specul. de litis contest. lib. 2. §. nunc dicimus, & Bart. C. de litis contest. num. 3. Et ratio est, Quia in libello duo continen-

S tur,

274 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
tur, videlicet, narratio, & petitio; quorum hoc
ipsum ius, illud autem factū, respicit. Vt si dico
cūm teneris mihi in decem, ex causa mutui, (ec-
ce factum, seu narratio) peto te mihi condemna-
ri. (ecce ipsum ius, seu petitio.) Si ergo negetur
alterum tantūm, non est lis contestata. Vnde de-
bet subijci: Et dico, petita fieri non debere: cōtin-
gere enim potest, quōd factum, prout narratur,
negari possit, & tamen secundūm illud condem-
natio iure sequatur, Speculat. d. loco. Quid,
autem peremptoria exceptio, porrecto libello
obijciatur? Et placet, litem contestatam non vi-
deri, c. fin. eod. lib. 6. nec impedire, quōd minūm Re-
us super petitione Actoris litem contestari cog-
tur, exceptis tribus, scilicet, exceptione rei iudi-
catae, transactae, & finitae, c. 1. eod. lib. 6. Lis enim
tunc cōtestatur, cūm iudex per narrationem
gotij causam audire cōeperit, l. vnica, C. eod.
Quod nō fit per exceptiones, vel per positiones,
& responsiones ad eas, sed per petitionem in iure
propositam, & responsionem congruē secutam,
c. vnico, extr. eod.

Quis Finis?

Finis est, vt, cognito cause statu, iudex certō scia-
at, quomodo petitioni libello comprāhensa cō-
formem, vel etiam pro Reo; si eius defensionem
intentione Actoris æquiores sint; sententiam fer-
re debeat, Socin. c. vnico, extr. eod. Mynsing. ob-
seru. 66. cent. 4.

Qui sunt Effectus?

1. Post litis contestationē, iudex nō recusatur.
2. Actiones alioqui interituras; vt sunt pœna-
les actiones ex maleficis, item omnes actiones
per

personales, quarum aliæ anno, aliæ sex mensib. aut minore temporis spatio finiuntur; facit perpetuas, id est, facit, vt ad 40. annos extendantur, & postea transeant ad hæredes, l. sæpè, C. de præscript. 30. & c. l. non autem, ff. de perp. & temp. act. l. in honorarijs, ff. de act. & oblig. Excipitur actio de dolo, quæ non perpetuatur per litis contestationem, l. fin. C. de dolo.

3. Post eam causa fit vsuraria, quæ prius non erat, l. lite, ff. de vsur.

4. Interrumpit quamlibet præscriptionem, etiam si sit facta coram arbitro, c. potest, 16. q. 3.

5. Excludit omnes exceptiones dilatorias & declinatorias, c. inter, extr. de sentent. & re iud.

6. Post eam non potest reuocari mandatum procuratoris, nisi certis ex causis, l. post litem, ff. de procurat.

7. Post litis contestationem procurator, vel tutor, domini litis efficiuntur, & procuratores constituere & substituere possunt, l. neq; C. eod.

8. Lite contestata ab alio, quàm à Principe, potest alij causam committere, c. cum Bertholdus, extr. de sentent. & re iud.

9. Post eam iuratur, & probationes recipiuntur, quod ante litis contestationem regulariter non conceditur, tot. tit. extr. vt lite non contest.

10. Actor & Reus ex contestatione, vt ex quasi contractu, inuicè fiunt obligati, paratamq; eo nomine habent inter se, ex sententia & re iudicata, actionem; non secùs, quàm ex quouis alio contractu; civilem & perpetuam, l. 3. §. idem, ff. de peculio, argument. l. 4. ff. de seru. l. actori, C. de reb. cred.

11. Excludit libelli mutationem, & emendationem, quæ eius substantiam concernit: illa enim tantum ante litis contestationem sunt concessa, Dd. in l. 3. C. de edendo.

Quæ Affinia?

Qualibet negatiua responsio, iuri agendi obiecta, citatio, denuntiatio, &c.

Quæ Pugnantis?

Omnes exceptiones dilatoriæ, declinatoriæ, & peremptoriæ impediètes litis ingressum, protestatio, de non contestanda lite, conditionalis responsio, negatio facti & iuris, quod inde profiscitur ante oblationem libelli facta, Soci. ind. quoniam, extr. vt lite non contestata, &c.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Animus litem contestandi, ex verbis aptis propositis ad litem contestandam praesumitur: quia humanae aures talia verba iudicant, qualia foenis sonant, c. humanae aures, 22. q. 5.

Non solet deterior conditio fieri eorum qui litem contestati sunt.

Nemo in persequendo deteriorem causam, sed meliorem, facit.

Post litis contestationem, heredi quoque prospicitur, & haeres tenetur ex omnibus causis.

Omnes actiones, quæ tempore, aut morte, pereunt, semel incluse iudicio, saluæ permanent.

Iudiciorum quasi fundamentum quoddam litis contestatio est, c. ex parte, de verb. signif.

Aduo-

Aduocati responsio, nisi statim sit reuocata, litis contestationem facit, c. fin. 35. q. 9.

Non per positiones & responsiones, sed, per petitionem in iure propositam, & responsionem secutam fit litis contestatio, c. 1. extr. eod.

Nemo tenetur sine libello litem contestari, potest tamen, si velit, solennitatibus renuntiare, c. de causis, extr. de off. deleg.

Multum prodest & potest animi destinatio, c. nuper, extr. de pig.

Litis contestatio facta per personam, quae legitimam personam standi in iudicio non habet, nullius est momenti, Specul. lib. 2. de litis contest.

Litis contestatio habita coram arbitro, non valet coram Ordinario, quo ad diffinitiuam sententiam, licet, quo ad alia, quae sunt coram eis, subsistat, Speculat. d. loco.

Non solum, cum per actionem iudicium instituitur, lis contestanda est, verum etiam vbicunque iudicis officium pro ipsa actione proponitur: Veluti, cum restitutio in integrum non incidenter, sed principaliter postulatur, c. fin. extr. de off. iudicis.

VT, LITE NON CONTESTATA, non procedatur ad Testium receptionem, vel ad sententiam diffinitiuam.

Titulus VI.

Continuatio.

CVM litis contestatio fit de substantiali ordine iudicij, ita, vt, ea omissa, iudicium, quasi viri-

bus destitutū, corruat: sequitur, nec testium receptionem, ante litis contestationem, fieri, nec in principali causa, ad liquidationem & sententiā diffinitiuam, procedi posse.

Distingue tamen. Aut Actor contumaciter abest, aut Reus: si Actor, vocāus est tribus edictis, per interualla xxx. dierum, & si non venerit indulgetur ei annus, sed intra ipsum annum veniens non auditur, nisi restitutis expensis Reo, si verò intra annum non venerit, iudex Rei testibus receptis, allegationibusq; intellectis, ex veritate rei sententiam ferre potest, in causa principali, auth. qui semel, C. quomodo & quando, &c. Quòd si Reus nihil probare potest, nihilominus tamen Actore in expensis damnato absoluitur ab instantia iudicij. Si aut Reus ante litis cōtestationem contumax est, prudenter attendendum venit, vtrūm contumax reali actione, an personali conueniatur. Si reali, mittendus est Actor in rei petita possessionem, vt tadio affectus Reus, veniat respōsurus. Qui, si venerit intra annum, (iudicio fisti sibi præstita cautione, & exhibita satisfactione, congrua expensarum) possessionem recuperat. Quòd si aut cautionem neglexerit intra annum, Actor post annum verus cōstituetur possessor: super proprietate duntaxat aduersæ parti defensione legitime reseruata. sin autem super personali actione conueniatur: vel mittendus est Actor in possessionem mobilium ipsius, vel immobilium, si fortè mobilia nō habeat causa custodiæ pro modo debiti declarati, vel in cōtumacem est Ecclesiastica sententia proferenda, ita videlicet, quòd alterutra pœna, quæ magis timeri

meri

meri debeat, iudex à principio sit contentus: ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit contumacis proteruitas. Missus tamē non efficitur verus possessor, imò, restitutis expensis & præstita cautione, venienti Reo restituitur possessio, quando cūq; c. quoniā, §. in alijs, extr. eod. nisi, iudicis autoritate, sit ab Actore distracta. Qui ad hoc debet statuere tempus moderatum, intra quod res distrahatur, vel iustus, vel verus possessor efficiatur, l. si prius, C. de dist. pig. l. si finitæ, ff. de dam. infect.

Quamuis igitur post litem contestatam contracto remedio de iure communi tantum procedi possit, in principali causa, ad liquidationē, sententiam diffinitiuam, & receptionem testiū: tamen cū multis modis nostra interesse possit, ne pereat nobis, nostrisq; successoribus rerum gestarum memoria, vel probationis facultas, permittitur quandoq; contra communem iuris regulam, testes ante litis contestationem recipi, atque examinari, cuius rei 36. casus Specul. in tit. de teste, §. nunc tractemus, commemorat.

Quid est Receptio testium, ante litis contestationem?

Est testium, de quorum obitu, vel diuturna absentia periculum subfit, ad testificandum, lite in principali negotio non cōtestata, per iudicem facta admissio, c. quoniam frequenter, extr. eod.

Quæ est causa Efficiens?

Legis, siue iudicis, tã ordinarij quàm delegati, autoritas: qui perspecta negotij & personarum

23. ANALYS. IVRIS PONTIFICII
qualitate, num, ante acceptum iudicium, recep-
tio admittenda sit? æstimat, Mynsing. obseruat,
72. cent. 4. Potest enim ipse iudex Ordinarius
causæ principalis recipere, & examinare testes,
vel alteri examen committere: sicuti, ad obtinen-
dam commissionem, ad perpetuam rei memori-
am, iudex causæ principalis, siue petatur à Reo,
siue ab Actore, adiri debet, Panor. in c. quintaual-
lis, num. 39. in fine, de iureiurando, & in c. si quis
contra, num. 3. de for. comp. & c. significauit, ex-
tr. de testib. Nota tamen, quòd de stylo Came-
ræ, in petenda commissione, ad perpetuam rei
memoriam, priuilegium primæ instantiæ nõ ha-
beat locum, idq; indistinctè, tam in futuro Acto-
re, quàm Reo. Igitur si à personis immediatè im-
perio subiectis, talis commissio petatur, non co-
ram Commissarijs, vel iudicibus primæ instan-
tiæ, sed immediatè superiore, hoc est, Camera po-
stulari debet: seruata tamen differentia inter A-
ctorem & Reum, quo ad actionem instituendam,
intra annum, vt infr. Et est ratio, Quia, cum peri-
culum sit in mora, solennitas, que, secundum or-
dinationem, in requirendo, & nominando iudi-
ce requiritur, non posset, absque præiudicio alte-
rius partis, obseruari. Quòd pertinet, quòd à regu-
lis iuris communis recedatur, vbicunque pericu-
lum est in mora, per tex. in l. de pupillo, §. si quis
riuos, ff. de noui operis nuntiat.

Quæ Materia in qua?

Est causa tam ciuilis, quàm criminalis, si de
morte, vel diuturna absentia testium probabili-
ter timeatur, c. quoniam, §. nisi fortè, extr. eod.
Inter hæc tamen interest. Quia in criminalibus,
parte

parte altera absente, testes ad perpetuam rei memoriam acceptari non possunt, glos. in c. veritatis, extr. de dolo & contum. & communiter Dd. in l. absentem, C. de accusat. Sed in civilibus citatio partis aduersæ non requiritur, si periculum sit in mora: aliàs secus. Quia tunc pars, contra quam testes producuntur, citari debet ad videndum iurare testes, & dandū interrogatoria, &c. Socin. in d. c. quoniam, extr. eod.

Nouem autem numerantur casus ab Innocen. in d. c. quoniam, Verb. (procedendum) quibus receptio testium ante litem contestatam permittitur: licet Speculator, tit. de test. §. nūc tractemus, vsque ad 36. addat.

1. In causa appellationis, l. cū notissimi, §. penult. C. de præscript. 30. annorum.

2. Vbi quis iuravit, non repetere vsuras, & vbi idem vsurarius in testamento reddi mandauit, c. ad nostram, extr. de iureiur.

3. Vbi aliquid petitur officio iudicis seruiente actioni, vt in expensis pendente lite factis, secus si non seruiret actioni, c. 2. extr. de off. iud.

4. Vbi causa est merè spiritualis, & sine alterius commodo, vt est crimen hæresis, 24. quæst. 2. c. sanè profert.

5. Vbi offenditur publicum commodū, c. quia ea, 2. q. 2. Vel vbi de statu Ecclesie, c. cū olim, extr. de testibus.

6. In denuntiatione, c. nouit, extr. de iud.

7. Si Reus fuerit præsens, & Actor contumaciter absit, d. au. qui semel, C. quomodo, & quādo.

8. In causa appellationis interpositæ à grauamine, c. interposita, extr. de appellat.

§ 5

9. In

In omnibus causis, in quibus proceditur simpliciter & de plano, vel in quibus libellus nō admittitur, possunt enim tunc, lite non contestata, testes recipi. Et nota, quōd commissio, ad perpetuam rei memoriam, in optima & meliori forma, nimirū, ad transsumenda instrumenta, in Camera non decernatur, sed tantū in communi forma: hoc est, ad recipiendum, & examinandum testes, & rem controuersam oculis subiiciendā. Ratio sumitur ex d. c. quoniam, extr. eod. Quia huiusmodi commissiones decerni non debent, nisi vel, ob ætatem, vel valetudinem aduersam, aut diuturnam absentiam testium: Sed, in recipiendis & transsumendis instrumentis, nullum subest periculum interitus: diligenter enim custodiri debent, & postulante necessitate, quādo-cunque produci possunt. Præterea, in casu necessitatis instrumentorum exemplatio legitimè fieri potest, nimirū parte, cuius interest, ad hoc legitimè citata, Dd. in auth. si quis in aliquo, C. de edend. Panor. in c. Albericus, nu. 5. de testib.

Quæ Forma?

Vt testium, de quorū morte, vel diuturna absentia timetur, designatio, vnā cum articulis, super quibus testes examinandi, iudici competenti exhibeatur in casu, quo controuersia moueri potest. Quibus legitimè citatis & examinatis, dicta eorum in publicam scripturam redacta & cōsignata iudex penes se, donec in actione (quā petens receptionem testium, vel commissionem, ad perpetuam rei memoriam, intra anni spatium instituere tenetur,) litis contestatio fiat, retineatur, nec nisi cum alijs testibus postea receptis publicetur,

tur, Speculat. in §. nunc tractemus, num. 15. tit. de teste.

In hac autem receptione testium, ad perpetuam rei memoriam, obseruanda est differentia inter Actorem & Reum. ad hoc enim, vt Actor eam obtinere possit, requiritur:

1. Vt testes sint vel senes, vel valetudinarij: ita vt mortis subsit periculum; aut diu abfuturi: quia mors & longa absentia æquiparantur, c. faciat, 22. q. 2. & c. præsentata, extr. de testib. & attest.

2. Requiritur, vt in supplicatione, pro commissione ad perpetuam rei memoriam, ista: an testes sint senes? valetudinarij? aut diu abfuturi? coniunctim & sigillatim exprimantur, & articuli, super quibus testes examinandi, vnà cum designatione testium, & eorum ætate, exhibeantur, ad hoc, vt iudex cognoscat, ex narratis supplicationis vtrum supplicans futurus sit Actor vel Reus? & an periculum, ob ætatem, vel diuturnam absentiam testium, sit in mora? Item, an articuli tales sint, qui ad probandum admitti debeant?

3. Vt, præmissa citatione, vel denuntiatione aduersarij testes, iuxta formam examinandi testes infra præscriptam, examinentur.

4. Vt, omnia hæc fiant coram competente iudice, vel eo, cui hoc legitime commissum est. Quis autem competens iudex in hac, ad perpetuam memoriam, receptione testium, sit? dixi supra. Quod tamen cum hoc temperamento accipitur nisi periculum sit in mora. Hinc est, quod receptio testium, coram incompetenti iudice facta, etiã, parte altera non citata valeat: si hoc præsens necessitas, puta periculum mortis testis, postulet, per tex. in l. si. C. de testib.

testib.

testib. Bart. in l. admonendi, ff. de iureiur. & Fel.
in c. 2. extr. de testib.

5. Ut absoluto examine, si Commissarius examinauit, ipsum ad ordinarium iudicem consignatum ipsius Commissarii sigillo transmittatur: vel, penes ordinarium iudicem, si ipse examinauit, in scripturam redactum & consignatum, donec lis contestata sit, conseruetur, nec nisi cum alijs testibus, post liti contestationem receptis publicetur, Panor. & Imol. in c. significauit, extr. de test. & attest. In Camera autem ita obseruatur: Si à personis Imperio immediatè subiectis commissio, ad perpetuam memoriã, petita fuerit, Commissarius à Camera deputatus, examen sub suo sigillo obsignatum, ad Cameram transmittit, vel procurator Cameræ, huiusmodi examen iudicialiter, vel extraiudicialiter producit, adiuncta petitione, vt tantisper ibidem ab actorum magistris, siue actuarijs conseruetur, donec lite coram iudicibus priuilegiatis cœpta ad petitionem partis producentis, iterum à iudice Cameræ, qui commissionem decreuit, repetatur, ad eum nimirum effectum, vt suo loco & tempore, in prima instãtia exhibeatur & publicetur, And. Geyl. obser. 93. lib. 1. pract. obseruat. Deniq; concessa commissione, & testibus ritè examinatis, requiritur, vt Actor intra annum actionem instituat, qui quidem annus ab initio utilis est. hoc est, non currit, nisi à tempore, quo potuit agere, gl. in d. c. quoniam frequenter, extr. eod. & Panor. ibid. num. 7.

Quod ad Reum attinet, is indifferenter, & sine discrimine ætatis, valetudinis, aut absentia, non

non modò senes, aut valetudinarios, sed quoslibet producere poterit. Ratio diuersitatis est. Quia in ipsius potestate non est positum, quando conueniatur, & ratione istius incertitudinis, ne ei probationes pereant, huiusmodi receptio testium indistinctè valet, cap. significasti, & ibid. Panorm. extr. de testib. & l. purè, §. fin. ff. de dolo malo. Excipitur vnus casus: nisi exceptio Rei cõpetat, per modum actionis, veluti in exceptione non numeratæ pecuniæ. quia tunc idem est, quod in Actore: vt scilicet, intra annum agere debeat, cum sit in potestate Rei, quando eam opponat, auth. hanc querelam, C. de non num. pec. Secus si exceptio non habeat vim actionis, vt est propriè natura omnium exceptionum, ita Lanfran. in c. quoniam contra, extr. de probat. c. 8. num. 34. Vbi dicit, etiam actorem, ante litis cõtestationem, testes, ad perpetuam rei memoriam producere posse, si Reus compareat, & exceptionem litis cõtestationem impediens opponat. Quia cum talis exceptio inducat moram, perinde est, ac si nõ haberet potestatem agendi, & hoc in Camera obtinere testatur And. Geyl. obseru. 92. lib. 1. pract. obseruat.

Quæ causa Procat arctica?

Petitio & instantia partis.

Quæ causa Impulsua?

Est æquitas, quæ receptionem testium, ne probandi facultas pereat, suadet, d. c. quoniam.

Quæ causa Finalis?

Ne veritas occultetur, & probationis copia
fortui.

fortuitis casibus subtrahatur, vt ait Innocen. III. d. c. quoniam frequenter, extr. eod.

Quis Effectus?

Quòd tales testium depositiones, perinde ac si debito tempore post litis contestationem factæ fuerint, fidem faciant: non tantum in prima instantia coram iudice ordinario, verum etiam in secunda & appellationis causa, per text. in c. presentium, extr. de testib. & c. fidem faciant, atq; ex his iudex discretus, in sententia ferenda, animi sui motum formare bona conscientia possit, c. præterea, extr. de testibus. Et nota, quòd huiusmodi examen, ad perpetuam fidem, quo ad effectum iuris, non intelligatur ante litis contestationem receptum: nam publicatio testium tum demum fit, quando iudicium coram ordinario iudice inchoatum est, & lis super causa principali contestata. Sententia enim ex actis probatorijs, lite non contestata, in causa principali ferri nequit. ita notat glòs. in d. c. quoniam & ibi Panor. Ratio. Quia ante litis contestationem iudicium propriè cœptum non dicitur, vt sup. de litis cõtest.

Quæ Affinitas?

Affinitatem quandam cum hac receptione testium habet, receptio testium, ad perpetuam rei memoriam, de qua in c. significauit, extr. de testibus. Vtraq; enim, ob rationabilem causam, ne probandi facultas pereat, ante litis contestationem fit: differunt tamè in multis, quas differentias notat glossa, in d. c. significauit, in ver. testes: eas examinat ibidè Panormitanus, num. 3. & Bart. in l. 4. §. prætor, ff. de dam. infect.

1. Diffe-

1. Differunt, quia ibi testes, non modò senes & valetudinarij, sed omnes idonei, indifferenter suscipiuntur: hìc tantùm hi, de quibus mortis vel diuturnæ absentia periculum subest.

2. Ibi suscepta testimonia, ad perpetuam rei memoriam, statim publicantur: hìc consignata remanent apud iudicem, donec litis contestatio fiat, nec publicantur, nisi cum alijs testibus postea receptis.

3. Testes ibi recepti perpetuò valent, tanquam publicum instrumētum: hìc testimonia post annum concidunt, nisi producent, intra annum cõuenerit aduersarium.

4. Ibi suscipiuntur testes, etsi nullum sit dictatum iudicium, nec vlla de præsentì imminet controuersia; hìc secùs. Quia cessat hoc remedium extraordinarium, cùm de proximo speretur lis, in qua ordinaria via testes produci poterunt, Mynsing. obser. 71. cent. 4.

Quæ Pugnantiæ

Sunt omnes exceptiones, quæ testibus obijci possunt: si testes sint in iuuenili ætate constituti, si peregrè proficisci, vel extrauagari non consueuerint: fraus petentis, vt quia propterea petat testes recipi, vt successu temporis, exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ locum habere non possint, c. ex tenore, & c. præsentium, extr. de testib. lapsus anni, ex quo conueniēdi facultas data fuerit, & ommissa denuntiatio receptionis testium, c. quoniam, §. sed si, extr. eod.

AXIO-

Publicatis atque estimationibus, licet super eisdem vel de
recto contrariis articulis, ex partium consensu, novostes
fies producere, c. presentata, extr. de testib.

Ante litem contestationem recipiuntur testes: ne pro-
bationum facultas angustetur, sed probatio veritatis fa-
vua sit, c. quoniam, extr. eod.

Ex parte Rei conueni, Actore contumaciter absen-
te, testes quocumque tempore recipiuntur, siue de mor-
eorum, siue diuturna absentia timor sit, siue nō, d. c. quo-
niam, §. sum & alij, extr. eod.

Si Reus, lite non contestata, est contumax, & agitur
reali actione, mittitur Actor in possessionem rei perita, in
sua custodia, quam tamen recuperat Reus veniens intra
annum, si offerat cautionem, de stando iuri, & restituit
expensas, post annum verò, his non seruatis, non auditur
nisi super proprietate, d. c. quoniam, §. in alijs, extr. eod.
Si verò Reus cōtumax conuenitur actione personali, mit-
titur Actor in possessionem bonorum mobilium vel imme-
bilium ipsius Rei, pro modo debiti declarati, d. c. quoniam,
& c. tuae fraternitatis, extr. eod.

DE IVRAMENTO CA- lumniæ.

Titulus VII.

Continuatio.

Iuramentum Calumniæ vtr plurimum, lite cō-
testata, ad petitionem alterutrius partium, à
iudice exigitur: debetq; regulariter, post litem
cont.

Contestationem præstari; quia ad totam causam pertinet. Causa autem, post litis contestationem, propriè in iudicium deducta esse censetur, intantum, ut si eius præstatio recusetur, Actor ab instituta actione cadat: Reus autem instar confessi condemnatur, c. cum in causa, §. pœna verò, extr. de iuram. calum. & c. 1. eod. tit. in 6.

Quotuplex est Iuramentum?

Quadruplex ponit Specul. tit. de iura. calum. lib. 2. par. 2. §. est autem: scilicet, decisoriũ, quod in defectum probationis, super principali negotio, præstatur, de quo infra tit. de iureiurando.

Alterum est, iuramentum malitiæ, quod præstatur super exceptionibus, vel, cum aliquid loco exceptionis proponitur. & præstatur hoc ante, vel post litis contestationem, semel vel pluries in ciuilibus & spiritualibus, & criminalibus causis: quoties præsumptio est contra aliquem, quod aliquid malitiosè proponat, c. cum dilecti, extr. de elect. & c. in appellatione, §. in omnibus, eod. tit. in 6. Licet, ex sententia Specul. post litem contestatam hoc iuramentũ non præstetur, quia iuramentum de calumnia in principali præstitũ, ad omnia, quæ postea accidunt, vel emergunt in causa, extenditur: alioquin bis iuraretur, quod esse non debet, auth. hoc sacramentum, C. de iura. calum. Sed prior opinio vsui iudiciorum & iuri magis est consentanea, c. cum dilecti, extr. de elect. c. in causis, extr. de test. & c. penul. c. vlt. & c. præsentium & extr. de restitut. spol. c. literas, & auth. eo. col. 7. §. quia verò.

Tertium est, iuramentum de veritate dicenda,

T quod

quod præstatur in spiritualibus, vel spiritualibus annexis, c. literas, extr. eod. Quartum est, iuramentum calumniæ.

Quid est Iuramentum Calumniæ?

Iuramentum calumniæ est, quod, ad petitionem partis, iudex præstandum, imponit: quod litigatores, vel eorum ministri, iurant, se bonæ fide, & non, animo calumniandi, actionem, vel defensionem, instituere, quodque lis vel defensio iusta sibi videatur, c. 1. glos. in verb. criminali, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Ius diuinum: nam iure diuino, iuramentum calumniæ introductum probatur, Exodi cap. 22. Vbi dicitur: si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in custodiã, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint, si inuenitur fur, duplũ reddet: si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit, quòd non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem, tam in boue. & quæ ibi sequuntur. Qua lege sacrosancta adductus Bart. in extrauag. ad reprim. in verbo & figura, num. 11 scribit, quòd etiam si data sit potestas & arbitrium iudici, procedendi in causa summarie, & sine figura iudicij, non tamen possit remittere hoc iuramentum calumniæ. Quam quidem iuris sententiam clariùs probat text. Clemen. sæpè, §. citationem, & ibi Card. de verb. signif. statueruntque leges & canones hoc iuramentum in quauis causa, tam ciuili, quàm cri-

mi-

minimali præstandum esse. Vnde causa efficiens etiã
 dicitur lex Iustiniani, & canon. l. 1. & l. cum & iu-
 dices, C. de iuram. propter calumniãdan. Non ta-
 men par est vtriusque introductæ præstationis
 iuramenti calumniæ ratio. Siquidem iure ciuili
 illud neque expresso partium consensu, neq; per
 dissimulationem potest remitti, sed tenetur iu-
 dex, etiam si petitum non fuerit, exigere, & sub
 pœna legibus statuta ad eius præstationem litiga-
 tores compellere, d. l. cum & iudices, §. sed quia
 veremur, C. eod. Licet alij existiment, iuramen-
 tum calumniæ tunc demum de substantia iudicij
 esse, si ab alterutra parte exactum sit: adeoque, vt
 eius omissio vitiet processum, & sententiam la-
 tam nullam reddat, per eandem l. 2. §. sed quia
 veremur, C. eod. Iure autem canonico, propter
 tacitam omissionem calumniæ iuramenti in to-
 ta causa, iudicialis processus aliàs legitimè factus,
 non irritatur, nec cogitur iudex ante petitionem
 factam litigatores hac periculosa præstandi iu-
 risiurandi religione prægrauare, tex. est in c. 1.
 §. propter omissum, eod. tit. in 6. & c. 1. extr. eod.
 Verùm in Camera, licet in prima vel secunda in-
 stantia iuramentum calumniæ exactum à parte,
 sed præstitum non sit, attamen processus ob id
 non annullatur, sed, eo non obstante, in causa
 principali pronuntiatur. Et hoc vigore ordina-
 tionis, quæ nullitates processus, si aliàs ex actis
 de meritis causæ iudicij plenè constat non atten-
 dit per Vant. tit. Quib. mod. sen. nul. repara. pos.
 num. 125.

Tamen à parte iuramentum calumniæ in Ca-
 mera petitum, vt legitimus obseruetur processus,

omitti non potest, adeò, vt si iuramento calumnia exacto, eoq; non præstito à partibus hinc inde in causa conclusum sit, ex officio facta conclusio rescindatur, & parti vt petutum iuramentum sub pœna legali præstet per interlocutoriam iungantur, vt tradit And. Geyl, obseruat. 83. lib. 1. practica. obseruat.

Iurare autem de calūnia vitanda debent regulariter personæ principales, c. 3. extr. eod. Item tutor, curator, œconomus, syndicus, actor, Episcopi, Archiepiscopi, parentes, orphonotrophii, & omnes alij, qui rei alienæ legitimam habent administrationem, vel à lege vel iudicis auctoritate, l. 2. §. quod obseruari, C. eod. auth. principales, C. de bonis mater. l. orphonotrophos, C. de epif. & cle. auth. sed hodie, C. eod. c. 3. & 4. & c. citi causam, extr. eod.

Potest tamen hodie per procuratorem apud acta constitutum tale iuramentum præstari, per tex. in c. fin. eod. tit. in 6. & Bart. in l. fin. C. eod. sed ad hoc non sufficit generale mandatum, sed speciale; sicuti ad cuiuslibet iuramenti præstationem desideratur, per tex. in c. fin. extr. eod.

Quæ Materia?

Omnes causæ tam ciuiles, quàm criminales: debet enim iuramentum calumniæ, in quauis causa, præstari; cum semper cauendum sit, ne veritas occultetur, & vt fraudes euitentur. & hoc quidem regulariter post litis contestationem, quia ad totam causam pertinet: causa verò, post litis contestationem, propriè in iudicium deducta esse censetur, etsi ante litis contestationem quan-

quandoq; p̄stari debeat, putà, super exceptione dilatoria vel declinatoria, c. si de calūnia, §. quāuis, eod. tit. in 6. c. in appellatione, eod. in 6. & Socinum. 26. & num. 49. c. fin. extr. eod. & p̄stari nō solum debet in prima instātia; sed etiā in causa appellationis, c. 2. eod. tit. in 6. Nec potest huic p̄stationi expresso partium consensu renūciari: quia Iuramenti calumniæ præstatio non solum utilitatem partis aduersæ, sed etiam commoditatem iudicis, & utilitatem publicam, ne per calumniam frustra defatigentur iudices, & lites in infinitum multiplicentur, concernit. Quare, nec pactum, quo tale iuramentum remittitur, iure subsistit, nec consuetudo contrarium disponens, tanquam favori publico derogans, rationabilis censenda est, c. constitutus, extr. de fideiuf. Hac enim ratione calumnijs, ex quibus omnis generis turpitudine manat, via pararetur, & fraudes committerentur, quod omni iure vetitum est, l. si vnus, §. illud &, §. pacta, ff. de pactis, & Socin. in c. ceterum, extr. eod.

Sed hodie illud iuramentum calumniæ parum curatur, magisq; ex facilitate quadam procuratores, huius præstationi incumbunt, quam conscij iuris, & innocentia partis aduersæ eius grauisimam pœnam non præstando declinent, reformidandoq; sibi melius consulant. Vt non malè dixerit Baldus in l. post. perfectum, C. de euict. Iuramentum calumnie hodie ne obulo quidem æstimari. Quia facti sumus contemptores Dei & religionis, vt ex eo refert Maranta, par. 6. tit. de iuram. num. 11. Et notandum, quòd in mutuis petitionibus, & duplicibus iudicijs, scilicet:

294 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
communi diuidendo, Familix herciscundæ, Fir-
nium regundorum, Vti possidetis, & Vtrubi, in
quibus vterque est Actor & Reus, vterq; iuramen-
tum Actoris & Rei præstat, Specula. eod. tit. §. re-
stat, lib. 1. par. 2.

*Quæ Forma præstandi huius iura-
menti?*

Formam ponit Specul. tit. de iuram. calum.
lib. 2. par. 2. Quòd litigatores, vel ipsorum procu-
ratores, & ministri constituti, in præsentia iudi-
cis, tactis sacrosanctis Euangelijs, vel, erectis duo-
bus digitis, iurent; 1. Quòd credant, se bonam
causam habere. 2. Quòd interrogati non nega-
bunt, quod verum esse credant. 3. Quòd non v-
tentur scienter falsa probatione, siue in testibus,
siue in instrumentis, siue in alia specie probatio-
nis. 4. Quòd dilationem, litis differendæ gratia,
non petent. 5. Quòd aliquo dono vel promissi-
one non corruerunt iudicem, vel tabellionem,
vel corrumperent per se, vel per interpositã perso-
nã, ea causa vt pro se feratur sententia, l. 2. & auth.
principales, C. eod. & in auth. vt litiga. iurent,
in prin. col. 9. §. primo. Vnde versus in glos. c. 1.
verb. calumniæ eod. notati.

Illud iuretur, quòd lis sibi iusta videtur:

Et si quæretur, verum non inficietur.

Nil promittetur, ne falsa probatio detur.

Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Et sanè Imperiali constitutione cautum est, vt
ipsæ principales personæ subeant calumniæ iura-
mentum: Et actor quidem iuret, non calumnian-
di

di animo, litem mouisse, sed existimádo, bonam causam se fouere. Reus autem non aliter suis defensionibus & allegationibus vtatur, nisi prius & ipse iurauerit, quòd putans se bona instantia vti, ad reluctandum venerit, l. 2. C. eod. Tamen iure Pontificio statutum est (quod & vsus iudiciorum probauit,) hoc iuramentum calumniæ per procuratorem ad causam constitutum, habentem ad hoc speciale mandatum, præstari posse, c. fin. de iuramento calum. in 6. non tantum in animam suam, sed etiam domini. Quo mandato in certa causa dato, iudex non poterit citare principalem ad iurandum de calumnia, etiam si iustior foret procuratore: fieret enim illi iniuria, si procurator eius non admitteretur. Quanquam ad respondendum particularibus interrogationibus iudicis, aut positionibus dominus citari possit, si procuratore vel iustior vel instructor sit, l. vlt. C. de procurato.

Quis Finis?

Vt via præcludatur calumnijs, c. 1. §. quamuis, in 6. eod. tit. partes à probationibus exonerentur, veritas causæ manifestetur & fraudes euitentur, vel calumniosa petitio defensione legitima refutetur, auth. de his qui ingred. ad appellat. §. fin. colum. §. c. cæterum, ver. ad eliciendam veritatem, & ibi gloss. extr. eod. & speculat. d. loco eod. tit.

Quis Effectus?

Euitatio falsitatis, & p̄sumptio bonæ cōscien-

T 4 tiaz

296 ANALYS. IURIS PONTIFICII
tiae in exercenda vel defendenda lite: cum de pre-
stiti iuramenti veritate quaestionem mouere no-
liceat. Habet enim periurus solum Deum com-
missi periurij ultorem, l. 2. C. de reb. cred. Nisi
post praestationem periurium manifestetur. Quo
casu non tantum diuinæ ultioni subiectus, sed e-
tiam canonicis & legalibus poenis coërcetur, l. si
quis maior, C. de Transact. l. si duo, §. ult. ff. de iu-
reiu. & l. fustibus, C. ex quib. causis infamia irro-
getur, & c. animaduertendum, 22. quaest. 2. Quae
aut poena imponatur de iure Ciuili & Pontificio
vide infr. tit. De crimine falsi, lib. 5. Poena vero
nolentis iurare de calumnia est, vt Actor ab insti-
tuta actione cadat, per sententiam, qua Reus, tan-
quam iniuste conuentus, absoluitur. Reus autem
iurare recusans, cum pro confesso habeatur, co-
demnationem patiatur, c. fin. §. poena, extr. eod. l.
2. §. quod si actor, C. eod. Quod ita intellige: vt ad
imponendam talem poenam requiratur sententia
declaratoria, p. tex. in auth. principales, §. si quis
aut, C. eod. & d. c. fin. in verb. poena eod. Nam si sen-
tentia interlocutoria euentualis, qua iniungitur par-
ti, vt petitum iuramentum calumniae intra certum te-
pus, sub poena non iuratis, praestet purificata sit, tunc
sequitur definitiua declaratoria, quae est, quo ad
actorem contumacem, absolutoria, quo ad Reum
verò, condemnatoria. Quid, si pars purificata
iam euentuali sententia ante declaratoriam sen-
tentiam, moram purgare, iuramentumque petitum
praestare velit, an admittatur? Et cum ista poena
non ipso iure irrogetur, sed sententiam declara-
toriam requirat, ad purgationem morae, vsque ad
pronuntiationem huius sententiae declaratoriae,
com-

communiori Doctorum opinione admittitur, Socin. in c. fin. de iuram. calum. Nam ius aduersarij deterius factum esse non censetur, donec sententia feratur, cum & hæc contumacia in non iurando ficta potius, quàm vera sit, per text. in l. a. lia, C. de his quib. vt indig. & l. Papinianus, §. meminisse, ff. de inofficiof. testamento.

Quæ Affinia?

Iuramentum de malitia, & iuramentum de veritate dicenda. Quid vtrunque sit? supr. dixi. Differt autem iuramentum malitiæ, à iuramento calumniæ. 1. Quòd iuramentum de calumnia vitanda, regulariter præstetur post litis contestationem, c. literas, extr. de restitut. spoliat. c. in causis, extr. de testib. & c. cum dilecti, extr. de elect. Iuramentum autem de malitia, ante & post litis contestationem, c. cum dilecti, extr. de elect. 2. Iuramentum calumniæ tantùm semel ad totã causam præstatur: Iuramentum malitiæ toties, quoties aliquid dici, vel fieri malitiosè, præsumitur. 3. Per istud prouidetur, ne quid calumniosè fiat, in tota lite: per hoc verò, ne, quod petitur, vel proponitur, in quo suspectus proponens habetur, malitiosè petatur, vel proponatur. 4. Illud regulariter locum habet tantùm, vbi agitur de rebus prophanis & temporalibus: hoc autem vbi tam de prophanis, quàm Ecclesiasticis agitur. 5. Differunt, quòd iurare recusans de calumnia, si Reus sit habeatur pro confesso, sin Actor causa cadat. Sed recusans iurare de malitia puniatur pœna iudicis arbitraria, per regulam quoties pœna certa à lege non est expressa & determinata,

nata, tunc officio iudicis arbitrariam, siue extraordinariam imponendam esse, l. 1. §. expilatores, ff. de effract. & Bartol. ibid. c. de causis, §. fin. extr. de off. deleg. Nam licet in c. penult. §. fin. extr. eod. huius iuramenti de malitia mentio fiat, tamen nulla pœna exprimitur, quæ quidem certa & expressa est in iuramento calumniæ, cap. fin. §. fin. eod. Attamen illa pœna, ad hoc iuramentum malitiæ referri nequit, cum pœnæ sint restringendæ, cap. in pœnis, de reg. iur. in 6. Sed opinionem Socini secutos esse dominos Assessores Camerae, tradit And. Geyl. obseruat. 87. lib. 1. obser. pract. putantis, quòd respectu illius articuli, super quo pars petit iurari de malitia recusans, habeatur pro confesso, & quòd articuli Actoris, vel exceptiones Rei, non debeant recipi, neque à iudice attendi, etiam si releuantes sint, si de malitia per sententiam iurare iussus, nolit iurare.

Differt etiam à iuramento de veritate dicenda iuramentum calumniæ: 1. Præstatur enim hoc in ciuilibus & pecuniarijs, c. cum causam, extr. eod. illud verò in spiritualibus, & illis annexis, cap. literas, extr. eod. 2. In hoc responderetur de credulitate, sed in illo non, nisi de scientia quâ scit, cap. hortatur, 3. quæst. 9. 3. Hoc continet multa capitula, illud vnum solum. 4. In hoc non datur dilatio: secùs in illo, tit. tot. ff. de interrog. act. Plures differentias notat Spec. eod. tit. §. est autem, lib. 2. par. 2. quæ tamen vsu fori non probantur.

Quæ

Quæ Pugnantiæ?

Omnis generis fallitates, vt sunt periurium, mendacium, præuaricatio, &c. quæ quid sint, infr. lib. 5. traditur.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Iuramentum in principali causa præstitum, ad omnia, quæ postea accidunt, vel emergunt, extenditur, c. fin. extr. eod.

Ante litem contestationem quis non dicitur agere, sed agere velle.

Iuramentum, si ommissum sit, poterit quandoq; ante sententiam exigi.

Reus excipiendo fit Actor.

Si de calumnia, seu de veritate dicenda, in primo litem exordio non iuretur, poterit postmodum in qualibet parte iurari: cum huiusmodi iuramenta præstari ab initio, de substantia ordinis iudiciarij non existat, cap. 1. eod. in 6.

Propter ommissum tacite in tota causa iuramentum calumnia, iudicialis processus, alias factus legitime, non est nullus, nec etiam annullandus, d. cap. 1. §. propter, eod. in 6.

In criminalibus, propter calumniã di frequentiam, tã de malitia, quàm calumnia, iurandũ est, d. c. 1. §. quamuis, eod. in 6.

Iudex, quoties sibi videtur, exigit iuramentum malitia, etiamsi de calumnia, vel veritate iuratũ sit, c. in appellationis, §. in omnibus, eod. tit. in 6.

Sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compefcitur.

IURA.

Iuramentum calumnie non tantum in prima instantia, sed etiam in causa appellationis prestandum est, c. 2. eod. tit. in 6.

DE DILATIONIBVS.

Titulus VIII.

Continuatio.

Iuramento, de calumnia, præstito, litigatores non præsumuntur, animo differendi negotij, sed bona fide, inducias petere: non iniuria igitur iudex, vel iubente lege, vel æquitate suadente, causaque cognita, eas concedit, cap. vlt. §. à iudice, 3. quæst. 3.

Quid est Dilatio?

Dilatio est, temporis interuallum, ad faciendum actum iudicalem à lege vel iudice cōcessum, vel moderatum, c. 1. 2. & 3. extr. eod.

Quoruplex Dilatio?

Alię sunt iudiciales, alię extraiudiciales. Quarum species multæ recensentur & explicantur per Specul. lib. 2. par. 1. tit. de dilat. §. experiundo-riæ, & Hostien. §. quot sint, eod. Et aduerte, quòd ferè indifferenter omnes dilationes siue à iudice, vel à lege dentur, (quia & prætor tempus lege datum, inspecta qualitate negotij, utilitate vel necessitate partium, producit & arctat,) ex causa arbitrariæ reddantur, c. vltim. extr. de transact. cap. si ægrotans, 5. quæst. 3. & c. si Episcopus, 3. quæst. 2.

Quæ

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens est, lex, iudex, & partium conuentio, Cynus in l. 1. C. de dilat.

Quod Obiectum?

Sunt actus iudiciales in qualibet causa, tam ciuili quàm criminali. Nam præfixio termini seu dilatio, siue à iudice fiat, siue à lege, conceditur quandoque ad testes producendos, c. licet, extr. de probat. Quandoque ad peremptorias proponendas, c. 1. & c. seq. 3. q. 3. quandoque ad probationem per instrumenta faciendam, Nouel. 115. §. sed & hoc, vers. dilationes: quandoque ad solutionem faciendam, l. 2. & 3. C. de vsur. quãdoque ad se purgandum, c. tam literis, extr. de testibus: quandoque ad accusandum vel agendum, c. licet, extr. de accusat. & c. fin. extr. de clan. desponsat. item ad optandũ legatum, c. cum in veteri extr. de elect. item ad prosequendam appellationem: item ad excessus puniendum, c. irrefragabili, extr. de off. ord. ad negotium decidendum, c. de causis, extr. de off. deleg. ad restitutionem petendum, c. frequens, extr. de restitut. spoliat. ad exceptionem excommunicationis probãdam, c. pia, de except. in 6. Denique ad litem contestandam, l. si quis, ff. de petit. hæredit.

Quæ Forma concedendæ Dilationis?

Dilatio tam Actori, quàm Reo, tã ante, quàm post litem contestationem, iudice pro tribunali sedente, causa cognita, & vtraque parte præsentem concedenda est. Quod si autem legalis dilatio est, ea, inuitis partibus, etiam, absq; causæ cognitione con-

ne con-

302 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
ne cōceditur; licet eam iudex, qualitate personę
& causę, alijsq; circumstantijs consideratis, inter
dum moderari possit, 3. q. 3. c. inducię, §. spatium,
l. à procedente, C. de inducijs, & l. 4. C. de dilatio-
nibus.

Quis Finis?

Vt parti commoda sit deliberandi facultas: vt
veritas rei salua sit: vt possit haberi consilium:
vt in omnib. æquitatis ratio obseruetur, Hosti-
ens. hīc, §. & quare.

Quis Effectus?

Expeditio causę. data enim dilatione, & adue-
niente termino peremptorio assignato, iudex eū
ulteriùs nō prorogat. Nec eo elapso q̄s vltra au-
diendus est, cūm perēptorius terminus vim ha-
beat interlocutorię, quam si, absq; causa, terminus
prorogandi gratia, reuocaret, nullus esset litium
finis, c. de illicita, 24. q. 3. & l. qualem, ff. de arb.
Regulariter enim omnis probatoria dilatio per-
emptoria est, & non, nisi semel, datur, nec potest
prorogari. Quod verum est in causa ciuili, nō au-
tem criminali, in ea enim pluries dilatio conce-
ditur, Bart. & Dd. in l. 1. C. de dilat. Abb. c. licet, 4.
not. de probat. Quandoq; tamen etiam in causis
ciuilibus plures dilationes concedi possunt, vt
notat Mynsing. obser. 71. cent. 1. Vt quia iustum
impedimentum extabat in prima, l. oratione, ff.
de ferijs: Vel nouę superuenerint litigati proba-
tiones, idq; iuramento asserat, c. pastoralis, extr.
de excep. Aut litigans impeditus sit factō aduer-
sarij, Iason, l. si eū, §. qui iniuriarū, ff. si quis cau-
Aut nouā actionem cumulauerit, glos. in l. edita,
C. de

C. de eden. Aut, si in iudicio emergat noua exceptio, vel aliud incidens, quia noua dilatio dabitur, ad probandū id, quod cōsistit in facto super illo emergenti, d. cap. pastoralis, extr. de except. Sic iure ciuili dilationes ad alios actus iudiciales faciendos, à iudice præfixæ, ex causa prorogari possunt prout quotidie in praxi obseruatur, dummodò intra terminū prorogatio petatur. Quia effluxo termino, quod non est, prorogari nō potest, l. iuris gentiū, §. ad eò, ff. de pactis: sed nouus terminus petendus esset. Prorogatio enim nihil aliud est, nisi dilationis labentis nondum lapsæ extensio, & dicitur eadem dilatio cum prima, l. si manente, ff. de minor. Maran. par. 4. dist. 12. nu. 2. fol. 225. & notat And. Geyl, obseruat. 91. lib. 1. pract. obser.

A X I O M A T A.

Ad impetrandam quartam dilationem, non requiritur speciale mandatum, sed generale sufficit, c. qui ad agendum, de procurat. in 6. Contrarium tamen obseruatur in Camera, Myns. obser. 70. cent. 1. Ratio est. Quia in iuramento omni requiritur speciale mandatum, & exprimitur qualitas iuramēti in specie, non autem extenditur illa species ad aliam non expressam, Clem. non potest, de procur. & c. vlt. extr. de iud.

Quando impedimentum est in iudice, vel Commissario, quò minus testium examinatio fiat, aut ad finē perducatur, tunc tempus dilationis supplendum, & non dicitur noua dilatio, sed suppletio prioris, Myns. obseruat. 71 cent. 1.

Regulariter omnis dilatio, est peremptoria: & non datur

304 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
datur, nisi semel in causa civili, nec potest prorogari: sed
in causa criminali pluries dari potest, Abb. in c. 1. extr. de
probationibus.

Prorogatio quarta dilationis conceditur, quando cau-
sae releuantes allegantur, & quod petens prorogationem
iuret, talem causam veram esse, adiecta tamen eadem so-
lemnitate legali, cuius fit mentio in c. ultra tertiam, extr.
de testi. quae quarta dilatio fuit concessa, Mynsing. obser.
72. cent. 1.

Si iudex assignat simpliciter terminum ad aliquid fa-
ciendum, tota dies termini cedit illi.

Peremptorius terminus vim habet interlocutoria, l.
qualem, ff. de arbit.

Concessa dilatio nec à iudice coarctari potest, nisi in-
sta causa abbrevianda dilationis interueniat, c. cum
Romana, extr. de appellat.

Omnes dilationes iudiciales, praeterquam appella-
ria, arbitrariae sunt, d. c. cum sit Romana.

Conceduntur dilationes, quando bona fide, & non, cum
sua litis propaganda, petuntur, à iudice pro tribunali seden-
te: nisi triennium, quo & ipsa causa perit instet, l. prope-
dum, C. de iud.

Dilationes conceduntur, ad ponendum, iurandum,
testes producendum, aliasque probationes afferendas, Ac-
tori & Reo, ordine seruato: ita ut prius Actori, quam
Reo terminus assignetur, c. 1. 4. q. 4.

Non, nisi causa cognita, dilatio danda est, c. fin. § à iu-
dice, 3 q. 3.

Probationum causa danda dilatio est trium mensi-
um, in eadem prouincia, in comitentibus prouincijs sex
mensium,

mensium, & in transmarinis nouem, cap. vlt. 3. quast. 3.
 Petens nomine alterius actionem sibi dari, debet satis dare de ipso defendendo in reconuentione arbitrio boni viri, Spec. eod. tit. §. experiundoria.

Terminus ad omnes dilatorias proponendas simpliciter datus, intelligitur peremptorius, c. licet, extr. de probationibus.

Termino assignato, ad dandum omnes exceptiones dilatorias, elapso, non possunt probari exceptiones litis contestationem impediens, ante litis contestationem: quia ante litis contestationem in vim dilatarum opponuntur, Specul. d. loco.

Si Reus aduocatum conduxit, & quandoq; cum eo in iudicio comparuit, & postea eum habere non potest, imputet sibi, si talem conduxit: si verò nondum conduxit, danda dilatio est ad quarendum aduocatum. non tamen sæpè, si id malitiosè petatur, c. prout, ext. de dol. & contum. Spec. d. loco.

Materia dandarum dilationum amputanda est, l. 2. C. de temp. appell.

Conceduntur dilationes, si bona fide petantur. bona fide peti presumuntur in casibus à iure concessis, & postq̃ iuratum est in causa, quòd si non est iuratum, & iudex dubitat an malitiosè, vel calumniosè petantur, potest à parte exigere iuramentum, Spec. d. tit. §. nūc videamus.

Ea, quæ cause cognitionem desiderant per sententiam, partibus absentibus, latam, nequeunt expediri, l. omnia, ff. de reg. iuris.

Processus nullus non potest rati habitione confirmari, c. auditis, extr. de elect.

¶

Ter-

Termino peremptorio, ad dandum omnes exceptiones, elapso, cum nunc intersit partis, non potest eum iudex sine causa prorogare. Specul. d. loco.

Cuiq; licitum est iuri pro se introducto renuntiare, c. ad Apostolicam, extr. de reg.

Si post citationem ad causam, Reus pro publica utilitate vocetur, circumducitur peremptorium, & habebit novas inducias, c. fin. extr. eod.

Iure civili 20. dierum spatium ad proponendas exceptiones statuitur, incertum habetur c. pastoralis, ext. de except. Respon. per auth. offert, C. quomodo, & quando, non tollitur d. c. pastoralis, sed per illud c. pastoralis potest, iudex restringere tempus 20. dierum, c. cum sit Romana, extr. de appellat.

DE FERIIS.

Titulus IX.

Continuatio.

Feriae, siue repentinae, siue solennes sint, dilationum temporibus non eximuntur: sed ad constituendum actus iudicialis peragendi terminum, proficiunt. l. siue pars, §. feria, C. de dilat.

Quot sunt genera Feriarum?

Feriarum aliae sunt solennes, aliae repentinae, aliae indictae, siue publicae, seu rusticae. Solennes sunt, quae ad Dei cultum & honorem, & Sanctorum reverentiam introductae sunt, quae recensentur per Spec. tit. de feriis, §. feriarum, c. fi. extr. de reliq. & venera. sancto. Repentinae feriae dicuntur,

tur, quas solus Princeps, ob publicam gratulationem indicit, putà, ob diem natalis sui, vel filij sui, vel coronationis suæ: vel, quia vxorem duxit, vel ob res prosperè gestas, putà, propter gaudium victoriæ de inimicis habitæ. dicuntur repentinæ, quia incertæ sunt, imò repentinè & subitò indicuntur, Specul. d. loco. Rusticæ sunt, quæ propter rem rusticam, seu, propter publicam utilitatem, conceduntur, scilicet, pro messibus & vindemijs colligendis, quæ etiam publicæ, indictæ, & quandoq; solennes vocantur, l. i. ff. eod.

Quæ causa efficiens?

Decreta & statuta Principum, & consuetudines locorum, Specul. tit. de ferijs, §. feriarum, l. à nullo, C. eod. l. præfides, ff. de ferijs.

Quis Finis & Effectus?

Cultus & honor Deo debitus, reuerentia Sanctorum, publicaq; utilitas & obseruantia. Quare in omnibus prædictis ferijs nihil fieri debet, quod horum vnum, violari, lædi, vel impediri possit. Quod igitur hoc loci est: non debent tractari ea, quæ ad contentiosam spectant iurisdictionem, putà: Non debet quis in ius vocari, nec causa tractari, nec sententia ferri, c. 1. & c. 2. 15. quæst. 4. Et si processus hisce diebus haberetur, ratificari non posset, cum sit ipso iure nullus, cap. auditis, extr. de electionib. Item, nec ad mortem, vel poenam damnari, nec placitum, vel mercatum fieri, nisi in casibus, extr. eod. cap. 1. & 22. quæst. 5. capit. decreuit, conceditur. Põtest tamen illis diebus agi, si necessitas vrgeat, vel pietas suadeat. Necessitas vrget: vt si res sit tempore, vel morte peritu-

308 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
ra, c. fin. extr. de iud. Pietas suadet: si sit causa debili-
bilium, vel miserabilium personarum. Quia in
operibus misericordiae, dierum non est habenda
distinctio, argum. c. vtinam, dist. 76. c. nunquam,
dist. 5. de consecrat. Pari ratione, ea quae ad voluntaria-
riam iurisdictionem spectant, quolibet tempore
fieri possunt. Voluntariae iurisdictionis sunt ad-
optare, emancipare, tutores constituere, manumitte-
re, excommunicare, & absolueri, vbi causa cog-
nitiō requiritur, & similia, l. actus, C. eod.

An autem ferijs renuntiari possit? Et respon-
sum est, sub quadam distinctiōe, quod ferijs re-
pentinis & solennibus non possit renuntiari, c.
fin. extr. eod. l. si feriatis, ff. de arb. Rusticis autem,
seu publicis renuntiari possit, tamen si renuntia-
tum non fuerit, quod actum est non subsistat, l.
c. fin. c. si diligenti, extr. de foro comp.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Scauola Iureconsultus interrogatus, quid ferijs agere
liceret? respondit, quod praeiudicium noceret. Vt, si
bos in foueam decidisset, non erat piaculum, patrem fa-
miliam illum, adhibitis operis, extrahere. Nec ille feriat
polluebat, qui trabem lecti fractam fulciendo ab immi-
nente ruina liberasset.*

*Mores Romano dies à media nocte incipit. & sequen-
tis noctis media parte finitur, itaque quicquid in his ve-
ginti quatuor horis: id est, duabus dimidiatis noctibus
& luce media actum est, perinde est, quasi quavis hora
lucis actum esset, l. more Romano, ff. de ferijs.*

*Feris introductis in honorem Dei & Sanctorum, mo-
stob*

si ob necessitatem, vel pietatem, iudicium exerceri non potest, etiam de consensu partium, ferijs tamen introductis favore hominum partes renuntiare possunt, c. conquestus, ext. cod. & licet eod.

Iudex pro tribunali sedens, si scienter assignat diem feriatam partibus presentibus, & feriatam esse non ignoratibus, si partes non contradicant, renuntiasse exceptioni feriarum videntur, c. quod ad consultationem, ext. de re iud.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Titulus X.

Continuatio.

Lapsis ferijs, omniq; impedimento alio sublato, iudex audiendis, cognoscendisq; causis, ut absq; mora ad finem perducantur, operam nauare debet. Sed quia plures quandoq; quaestiones ab vna & eadem, vel à diuersis partibus, proponuntur, aliquando incidunt, aliquando emergunt in iudicijs, ne confusio definitioni pariat impedimentum, inter eas certum cognoscendi & definiendi ordinem seruabit.

Quis ordo Cognitionum?

Cum duae quaestiones in iudicio proponuntur, aut sunt ambae principales, aut vna est principalis, & altera incidens; si quidem vtraq; sit principalis & civilis, quae prius proponitur, primò tractabitur, & vna sententia terminantur, licet sint aequales, dummodò se non contingant, c. 2. extr. de ord. cog. & sit talis quaestio, de qua iudex alias cognoscere possit, si verò sint criminales & inae-

310 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
quales, tunc maior minori præponetur. Si à diuer-
sis partibus diuersæ quæstiones proponuntur,
quarum vna est ciuilib, altera criminalis: & qui-
dem si Actor ciuilem proponit accusationem,
Reus autem criminalem, criminalis prius tracta-
bitur, quàm ciuilib, c. ciuili, 3. quæst. 11. tex. in l. fi.
C. de ord. iud. Nisi ciuilib præiudicialis sit crimi-
nali, quia tunc primò tractabitur ciuilib, c. si cri-
men, 3. q. 11. Si non ambæ fuerint principales, sed
vna incidit alteri, tunc de incidenti principali pri-
us cognoscendum & pronuntiandum est, l. ordi-
nata, ff. de liberali causa, c. si de hæreditate, 3. q. 11.
Quod verum est, si incidens sit talis, quæ non pa-
tiatur litem contestari, sed impediatur cognitione
principalis negotij, nisi primò pronuntietur su-
per ea. Quòd si patiatur, prius est cognoscendum
de principali, Gul. l. 3. ff. de præuar. & Bal. tit. de
inciden. quæst. Est. n. regula: quòd quotiescunque
aliquid opponitur in iudicio, propter quod im-
peditur cognitio principalis negotij, prius de eo
cognoscendū & pronuntiandum esse, cum iudex
aliter iurisdictione expedire nõ possit, c. tuã, ex-
tr. eod. Verùm in Camera, non obstante inciden-
ti quæstione præiudiciali, imponitur Reo litis cõ-
testatio, saluis tamen ipsi suis exceptionib. & de-
fensionibus, quibuscunq; post litem contestatam
proponendis. Vnde, si post litem contestatam,
per viam reconventionis, vel alio modo Reus ob-
ijciat quæstionem præiudicialem, quæ de sui na-
tura coram alio iudice terminanda sit, eaq; verè
existente, perimatur quæstio principalis, tunc il-
la principalis quæstio remittitur ad iudicem or-
dina-

dinarium, & interim, donec ea terminetur, principalis causa quiescit, Mynsi. obser. vlt. cent. 1.

Multifariam autem incidere quæstio dicitur. Primò incidit ciuili ciuili: vt si petenti hereditatem patris, opponitur, quòd sit spurius, c. lator, extr. qui filij sint leg. 2. Ciuilis incidit criminali: vt, si, accusatus de plagio, dicat, se dominum, l. pteses, C. de plag. Vel, si agenti de adulterio, obijcitur quæstio statûs, l. quoniã, C. de adult. 3. Criminalis incidit ciuili: vt, si agenti per aliquod instrumentum obijciatur quæstio falsi, l. damus, C. ad l. Cor. de fals. 4. Criminalis incidit criminali, cum agenti de adulterio opponitur de lenocinio, l. 2. ff. ad l. Iul. de adult. Dicitur etiam incidens quæstio, emendatio, & mutatio libelli, quæ fieri potest ex eadem instantia, quando libellus peccat in materia: secus si in forma. Quia omninò debet esse nouus libellus, forma substantiali mutata, l. si accusaturus, ff. de adult. Dicitur etiam incidens quæstio, replicatio, quæ potest cumulari cum petitione, si Actor velit: vt peto decem ex mutuo, non obstante pacto, De non petendo, quod postea fecisti. Dicitur etiam incidens quæstio, reconuentio, præsertim si cõtingat principalem petitionem, l. si idem, ff. de iurisdic. omnium iudicum.

DE PLVS PETITIONIBVS.

Titulus XI.

Continuatio.

Solet iudex Actoris plus petentis fraudem post determinationem incidentium quæstionũ pœnis legitimis, quandoq; coërcere.

V 4

Quis

Quis dicitur plus petere?

Plus petere dicitur, qui plus debito, vel, ita quidem, ut commoditas & optio præstationis creditori auferatur, lite contestata, petit.

Quot modis plus petitur?

Quatuor modis, causa, tempore, re & loco. Causâ plus petitur: ut, si in generali vel alternativa obligatione, præcisè petatur species, c. vnico, extr. eod. Tempore, si priùs, quàm solutionis dies extiterit, petatur. Re: ut si maior summa, vel quantitas, quàm debeatur. Loco quoque plus petitur: ut, si non ubi conuenit soluere, sed alibi petatur, d. c. vnico.

Qua causa Efficiens?

Dolus, vel opinatio Actoris, vel etiam Rei Actorem, ante litis contestationem, reconuenientis. Nam in causa reconuentionis Actoris vicem subit.

Quod Obiectum?

Ipsium debitum, siue actione reali, siue personali debeatur, l. hæc adiectio, ff. de verb. signif. & Socin. c. vnico, extr. eod.

Qua Forma?

Quòd plus petatur vel causâ, vel re, vel tempore, vel loco: & in ea petitione, usque post litis contestationem perseueretur. Quia, ante litis contestationem, non petere, sed petere voluisse, dicitur Actor, l. quamuis, ff. de in ius vocando.

Quis Effectus?

Quòd si quis plus petierit causâ, iudicium non procedit, sed condemnabitur Actor ad omnes expen-

expensas in triplum, & omne damnum, quod per tulit Reus occasione institutæ actionis, §. sed hoc quidem, inst. de actionib. Si quis autem plus petere, condemnabitur Actor in triplum, eius, quod Reus expendit, §. tripli. inst. de act. Si loco plus petat, cum locus actionem arbitrariam efficiat, tenetur actor in illa actione quanti Rei interest, potius conuento loco, quam vbi actio instituta est, soluisse, l. i. ff. quod certo loco, c. vnico extr. eod. Nihilominus tamen vltra præstationem interesse in triplum eius, quod Reus nomine sportularum impendit, in triplum condemnabitur Actor, §. hoc quidem, inst. de actionibus. Si verò tempore plus petitum sit, duplicantur induciæ, quibus finitis, Reus, nisi omnibus ab Actore expensis præstitis, litem suscipere non tenetur, d. c. vnico, extr. eod. §. in triplum, inst. de actioibus.

Qua Adiacentia?

Restitutio sportularum, perpeffum damnum, interesse, expensæ, c. vni. extr. eod. c. examinata, de iud.

Qua Affinia?

Præpostera petitio, defectus desideratæ formæ in libellis, petitio rei, quæ neque ciuilitè, vel naturaliter debetur, Felin. c. 2. extr. de rescrip.

Qua Pugnancia?

Intermissio litis, antequam contestetur, compositio partium, iuramentum, à parte Actoris præstitum, reiectio libelli inepti per officium iudicis, & c. Iason in l. 3. num 18. C. de eden. Bart. 1. prætor, ff. de iurei.

A X I O M A T A.

Si Actor ante litem contestationem à pluris petitione desistat, pœnam legis effugit, Host. hîc.

Si quis per fraudē induxit aliquem, vt cùm deberetur x. tantum, X X, se debere in instrumento cauerit, postea illa X X, vi instrumenti lite cōtestata petierit, à toto debito, saluis transactionibus, & secundis cautionibus & confessionibus super hoc habitis, cadit, l. ymca, C. eod. c. l. si mulier, C. ad Velleia.

DE CAUSA POSSESSIONIS
& Proprietatis.

Titulus XII.

Continuatio.

Contingit, causam proprietatis & possessionis, ab eodem, vel diuersis, vno tempore, in iudicium deduci. Cùm autem altera alterius definitioni impedimento sit, in hac contingentiã vtra in cognitione præferatur? scire conuenit.

Quid est causa Possessionis & Proprietatis?

Est lis, inter duos, vel plures, separatim, de proprietate & possessione contendentes, iudicio inclusa. Siquidem licet in constitutione dominiũ vnum sint; sicuti omnia humani corporis membra, quo ad constitutionem integri corporis, vnum intelliguntur, quæ aliàs, quo ad officia, & sicuti

quælibet

milibus singulatim consideratis, discrepant: tamen separatim & in abstracto causa proprietatis & possessionis accepta, nihil habent commune, l. notum taliter, §. nihil, ff. de acqui. pos.

Quid est Possessio?

Possessio est ius insistendi rei corporalis, non prohibita possideri: dicta à sedibus, quasi sedum positio, l. i. ff. de acqui. poss.

Quotuplex est possessio?

Duplex: naturalis & ciuilis. Naturalis in facto, Ciuilis in iure, consistit: eademq; naturalis ciuilis fit, si iuris auctoritate approbetur, Alc. in l. quinque pedum, C. de ter. mo. Zasius in suis sing. intellect. c. r. nu. 2. & Hostiensis, tit. de causa posses. §. primo.

Qua causa Efficiens?

Apprehensio, corpore & animo, facta. Quia, licet solo animo amittatur possessio, acquiri tamen non, nisi corpore & animo simul, potest, l. 3. §. i. & §. in amittenda.

Quod Obiectum?

Est res corporalis, siue mobilis, siue immobilis, hominum commertio non exempta. Quia res incorporales, vt sunt omnia ea, quæ in iure consistunt, propriè non possidentur, sed quasi possidentur, Bart. l. i. num. 3. ff. de acq. pos. c. querelam, extr. de elect.

Qua Forma?

Est ipsum ius insistendi rei, quo ad acquisitionē pos.

316 ANALYS. IURIS PONTIFICII
possessionis attinet, non autē retentionem. Quia
etiam solo animo retinetur: Nec opus est rei sem-
per corporaliter insistere, l. qui vniuersas, & l. 3.
ff. de acq. pos.

Qui Finis & Effectus?

1. Prescriptio, quæ per longam possessionem, iu-
ris auctoritate adiicit dominium possidenti.
2. Interdicta, quæ pro retinenda vel recupera-
da possessione, competunt, l. fin. ff. vti pos. l. 1. §.
deijcitur, ff. de vi & vi arm.
3. Lucrum fructu-
um ex re aliena, bona fide perceptorum, l. certu-
C. de rei vind.

Quæ Cognata?

Quasi possessio, quæ propriè est rerum incor-
poralium, l. si ædes, ff. de ser. vrb. præd. Detentio,
quæ est eorum, qui ratione suæ detentionis non
habent conditionem vsucapiendi illam rem, vel
alios possessionis effectus consequendi: vt est in
creditorum pignus tenente, & alijs, Bart. l. 1. ff. de ac-
qui. pos. num. 21. Et proprietates, quæ inuicta pos-
sessione iusta ius dominij constituit.

Quæ Pugnantia?

Interitus rei, deiectio, rei mutatio causa religi-
onis facta, amissio, animus possidere non volen-
tis, &c.

Quid est Proprietas?

Proprietas est, dominium rei legitimis modis
conquisitum, Hostien. tit. de causa propriet.

Quæ causa Efficiens?

Ius gentium, & ius Ciuile: quæ certos mo-
dos acquirendi rerum dominia introduxerunt,
§. fin.

§. singulorum, inst. de rerum diuis.

Quod Obiectum?

Omnes res corporales, quæ humano commercio subiiciuntur, l. rectè dicimus, ff. de verb. sig.

Qua Forma?

Titulus acquirendi iuris gentium & ciuilis: qui circa formam proprietatis acquirendæ, vel quæsitæ potissimum consideratur.

Qui Effectus?

1. Rei vindicatio, quæ pro amissa rei proprietate recuperanda competit, §. omnium, inst. de actio. 2. Libera disponendi facultas, ni vel lege, vel conuentione impediatur, l. in re mandata, C. mandati.

Quis ordo cognoscendi in causa possessionis & proprietatis seruandus?

Ordo cognoscendi varius est. Nam vbi duæ quæstiones possessoria principaliter proponuntur à diuersis, & diuersis rebus, illæ, tanquam mutue petitiones, simul & vicissim sunt tractandæ, secundum regulam: Qui prior appellat, prior agat, c. 2. extr. de ord. cog. Si autem vtraque possessoria quæstio, sit super eadem re, iudex vltimò factam violentiam prius purgabit, l. colonus, ff. de vi & vi armata. Quòd si Actor agit primò petitorio, & Reus secundò possessorio, conquerens de spoliatione, distingue. Aut vtraque quæstio est circa eandem rem, vel circa diuersas: Si circa eandem rem, tunc paratur præiudicium petitorio prius proposito, per possessorium secundò, etiam in modum reconuentionis propositum, & super

pos

ANALYS. IURIS PONTIFICII
possessorio cognoscetur prius, & pronuntiabitur, petitorio prius proposito suspensio, c. ex co-
questione, c. literas extr. de restit. spoliato. c. ac-
cedens, extr. vt lite non contest. Et hoc, siue pos-
sessorium præcedat, siue sequatur, c. in literis, ex-
tr. de rest. spoliat. Porro si petitorium & possessorium sunt circa diuersa, subdistinguitur. Nam, aut spoliatio proponitur in modum reconuentionis, aut in modum actionis, aut in modum exceptionis. Si in modum reconuentionis, puta, quia Reus conuentus reconueniendo petit restitui, tunc sunt duæ petitiones, quæ vicissim tractandæ, & vna sententia terminandæ sunt, paucis casibus exceptis, quos notat Specula. tit. de reconuen. s. videndum. Si verò in modum actionis, tunc, siue ciuilitè, siue criminaliter ab Actore conueniatur, prius de questione spoliij tractari & cognosci debet. Quia omnes leges, tam Ecclesiasticæ quàm seculares, ante omnia spoliatis reintegranda & damna sarcienda esse, præcipiunt, c. grauis, extr. de rest. spoliat.

Si verò spoliatio in modum exceptionis proponitur, tunc primò tractabitur exceptio spoliationis, suspensio petitorio, c. 2. extr. de ord. cog. Nec, hoc casu, post litem contestatam, de spoliatione excipi potest. Huius tamen doctrinæ diuersi sunt effectus: quia, spoliatione, per modum exceptionis, probata, agens repellitur, sed non restituitur: sed si probetur in modum actionis restituetur opponens ante ingressum causæ principalis.

AXIO

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

*Causa possessionis & proprietatis sub eodem iudice
terminari debet: nec contra absentem est pronuntian-
dum, c. 1. ext. eod.*

*Qui agit de proprietate, ante conclusionem causa pos-
sessorio adipiscenda, vel recuperanda agere potest: post
conclusionem vero, & ante sententiam hoc non potest,
nisi iusta causa subsit. c. pastoralis, extr. eod.*

*Si petitorio & possessorio simul est actum, vna sen-
tentia terminatur, & praemittitur possessorium in defi-
niendo, licet prius in petitorio executio fieri debeat:
c. cum dilectus, c. cum Ecclesia, c. ad ultimum, extr.
eod.*

*Succumbens in possessorio, de proprietate agere po-
test, c. cum olim ext. eod.*

*Si petens rem ex vna causa succumbat, ex alia causa
repetere non prohibetur, c. fin. ex. eod.*

*Ex iure tertij iuri meo non subiecti mihi non com-
petit defensio, sicut nec actio, l. si vnus, ff. de pactis.*

*Questio spoliationis in modum actionis, vel exceptio-
nis proposita, semper repellit agentem in causa crimina-
li, 3. quest. 1. per totum.*

*Vbi civiliter agitur, non potest excipi de spoliatione
ab alio, quam ab Actore, facta: vbi vero criminaliter, tunc
excipi potest de spoliatione facta, a tertia persona. &
hac exceptio probanda est intra 15. dies, a die obiectionis
computata. Specul. tit. de pet. & posses. §. 1. nu. 8.*

*Post publicationem attestationum potest quis ad-
huc redire ad possessorium. Vbi enim non renunciauit,
adhuc*

adhuc

320 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
adhuc poterit instrumenta, confessiones, et probationes
inducere. Post conclusionem autem, vel renuntiationem,
non potest fieri suspensio petitorij, nisi, malitia spoliato-
ris, vel casus, vel alia iusta causa iudicem mouerit, ut in
possessorio, petitorio suspenso, procedat, c. pastoralis, extr.
eod. & specul. d. loco.

*Causa possessionis nihil habet commune cum pro-
prietate.*

DISCORD.

*Iure Ciuili questione, de possessione & proprietate,
orta, prius possessionis questio finiri precipitur, l. 3. C.
de interd. l. si de vi, ff. de iud. Sed iure Pontificio simul
agi potest utraq, & licet in pronuntiatione premittere
da sit possessio, in executione tamen debet proprietatis pre-
ualere, c. cum dilectus, extr. eod. c. 2. extr. de Capel-
Monachorum.*

DE RESTITVTIONE SPO- liatorum.

Titulus XIII.

Continuatio.

ANte restitutionem obiecta, in modum exce-
ptionis, spoliij questione, Actor non auditur
nec spoliatus eius petitioni respondere tenetur.
Sciendum igitur, quis spoliatus dicatur? & quo-
modo eidem succurratur.

Quid est Spolium?

*Spolium est priuatio possessionis, vel qualis
rei*

rei alicuius aut iuris, iniqui iudicis sententia, vel alterius cuiusdam vi, vel dolo malo, facta. Dd. in c. conquerente, extr. eod. Est enim vis de genere illicitorum: quæ semper præsumuntur dolo malo fieri. nisi error aut alia violentiæ causa iusta probetur, l. si non conuicij, C. de iniurijs, l. 1. C. ad l. Iul. de fidei. & l. 2. ff. vi. bo. rap.

Quæ est causa Efficiens?

Inutilis sententia iudicis, aliquem, non seruato iuris ordine, vel iniuste possessione sua priuatis, & vis, vel fraudulosa voluntas spoliatoris, c. grauis, extr. eod. & c. in literis, & c. conquerente, eod.

Quod est Obiectum?

Res mobilis, immobilis, corporalis & incorporealis: vt sint omnes res, quarum humanum commercium est, iura, & beneficia clericorum d. c. grauis, c. in literis, c. sollicitè, c. accepta, c. sæpè contingit, extr. eod.

Quæ Forma?

Spolium non tantum fit, si quis per vim vel dolum alicuius priuati hominis ex possessione rerum suarum eijciatur, verum etiam, qui per iudicis sententiam, iuris ordine prætermisso, beneficio, vel alijs rebus carere coactus est. Vel, si iuris quidem ordinem seruauerit, spoliati tamen, & de facto damnati iudex erat incompetens: vel si iudex sit competens circa priuationem nulliter pronuntiauit, c. conquerente, extr. eod. & c. causam matrimonij, extr. de off. iud. deleg. & ibi Dd. Pariter non tantum is qui spolium patrauit spoliasse dicitur, sed etiam, qui mandauit spoliari,

aut Spolium suo nomine factum ratum habuit,
vel spoliatori in vitium successit, c. cum ad se-
dem, extr. eod.

Quis Finis?

Vt spoliatus possessione rerum suarum, vel
quasi possessione iurium, restituatur, c. sollicitus
& c. Pisanis, extr. eod.

Quis Effectus?

Interdictum, Vnde vi, actio & exceptio spolia-
tionis, c. cum ad sedem, extr. eod. Et sciendum,
quod spoliij quaestio, vel in modum actionis, re-
conventionis, vel exceptionis obijci possit: si Ac-
tor actione instituta conqueratur de spolio, non
potest ab aduersario vel ciuilitur vel criminaliter
reconueniri ante restitutionem, nisi pariter
super spoliatione, c. 1. & c. fin. extr. de ord. cogit.
Restitutionis enim petitio in hoc priuilegiata
se dicitur, vt ipsam intetans nullo iure teneatur,
ante restitutionem, petitioni spoliatoris respon-
dere, nisi in pari questione, Abbas, c. 1. extr. de ord.
cog. Si autem in modum reconventionis oppo-
natur, tunc, cum multae petitiones esse intelli-
gantur, simul & vicissim tractandae & vna senten-
tia terminandae sunt. Quod si spolium in modum
exceptionis proponitur, etiam ea legitime proba-
ta nulla fertur restitutionis sententia: sed quan-
diu Reus restitutus non fuerit, non cogitur Acto-
ri super petitionibus suis respondere. Et hoc est,
quod antea dixi, diuersos esse proponendae spolia-
tionis effectus: cum quod spoliatione per mo-
dum exceptionis probata agens repellatur, sed
non restituatur: sed si probetur in modum actio-
nis,

nis, restituatur opponens ante principalis causæ ingressum. verùm restitutio ita fieri debet, vt nō tantum res ablata restituatur, verum etiam, omnes fructus, tam à violento possessore percepti, quàm ij, qui à veteri possessore verisimiliter percipi potuissēt: imò etiam ad omnia damna resarciēda, & de illatis iniurijs satisfaciendum, c. grauis, extr. eod.

Quæ sunt Restitutioni Contraria?

Renuntiatio spoliati ante spoliationem facta, c. sollicitè, eod. resignatio beneficij, super quo spoliū factum probatur, c. accepta, eod. rei iudicatę exceptio, c. ei qui appellat, 2. quæst. 6. simonia, c. tanta, de simonia. criminis euidentia, c. de manifesta, 2. quæst. 1. infamiã publica, c. presbyter, 2. quæst. 5. scandalum, c. hæc quippe, 3. quæst. 6. intrusio in Romanã sedem, c. Deus, 3. quæst. 1. spoliatio à iudice in figura iudicij facta, c. notum, 2. quæst. 1. in modum exceptionis spoliationis obiectio, c. cum dilectus, extr. de ord. cog. spoliatoris inopia, c. olim, extr. eod. hæresis spoliati, c. quo iure, dist. 8. & 13. quæst. 1.

A X I O M A T A.

Si contra petentem restitutionem coniugis, opponitur consanguinitas in gradu prohibito, & offeruntur probationes paratæ, recepto ab opponente iuramento de malitia, negabitur restitutio, quo ad thorum, & fiet quo

X 2 ad

ad reliqua. Si verò probationes promptæ non sint, fiet plena restitutio viro probanti de sponsationem & copulam, c. literas tuas, & c. ex transmissa, extr. eod. Sunt autem septem casus matrimoniales, in quibus non habet locum restitutio, his versibus comprehensi:

Si non continuit, si mox probat impedimentum,

Siq; vir auferus, Mox sit lege relicta.

Si virgo fuerit, & corrumpi timeatur:

Si non possedit iustè, vel si violenter.

Casibus his septem dominis non restituuntur.

Aduersus restitutionem petentem, non est audiendus reus de proprietate opponens: nisi actore consentiente, c. licet, extr. eod.

Spoliatus etiam à iudice, iuris ordine prætermisso, ante omnia restituendus, c. conquerente, extr. eod.

Si Actore agente petitorio Reus super eadem re adducit possessorium, proceditur in solo possessorio, suspensus petitorio, c. ex conquestione, extr. eod.

Violentus rem cum fructibus, etiam qui percipi potuissent, restituere, damna resarcire, & de iniurijs satisfacere compellitur, c. grauis, extr. eod.

Recipiens scienter rem inuasam à spoliatore, tenetur eam spoliatore restituere, etiam non probato dominio, c. sapè, extr. eod.

Per solam traductionem mulieris ad domum viri factam, non præcedentibus sponsalibus, vel inualidis, nõ acquiritur possessio: Vnde ea recedente propria auctoritate non competit restitutio, c. ex parte, eod.

Actori, qui possessionem non habuit, vel in eius probatione deficit, non conceditur restitutio, d. c. ex parte.

Spoliatus potest, suspenso petitorio, ante conclusionem
in causa, intentare possessorium: secus si sit conclusum,
vel iudicialiter videatur, c. pastoralis, extr. de causa pos.
& propri.

Cum spolium proponitur in modum exceptionis, nul-
la fertur restitutionis sententia, sed quamdiu non fuerit
Reus restitutus, non est cogendus Actori respondere, c. 2.
extr. de ord. cog.

DE DOLO ET CONTV. maciam.

Titulus XIII.

Continuatio.

Videntur litigatores rebus suis destituti, si
per alterutrum dolum, vel contumaciam,
iuris definitio retardetur. Ne igitur fraudu-
losè moratori, vel contumaciter absenti contu-
maciam sua patrocinetur, sunt certa iuris remedia
statuta, quibus, in pœnam contumacis, obediēti
subuenitur.

Dolus quotuplex?

Duplex, bonus & malus. Dolus bonus dicitur,
machinatio aduersus latronem, inimicum, vel
publicum hostem, instituta, c. vtilem, 22. quæst. 2.
& c. vt pridem, 23. quæst. 8.

Quid est Dolus malus?

Labeo dolum malum, dicit esse omnem calli-
ditatem, fallaciam, machinationem, ad circum-

X 3

uenien-

326 ANALYS. IURIS PONTIFICII
ueniendum, fallendum, decipiendum alterum,
adhibitam, l. 1. ff. de dolo.

Quæ causa Efficiens?

Est animi conatus ad decipiendum directus
quia delicta ex affectu animi discernuntur, l. qui
iniuriæ, ff. de furtis.

Quod Obiectum?

Obiectum est, ipsa deceptio, quæ in omni ne-
gotio, non iure sed dolo committentis, fieri po-
test, l. 1. & l. 4. ff. de dolo.

Quæ Forma?

Committitur dolus per calliditatem, tacendo
& dissimulando, per fallaciam, decipiendo: men-
tiendo, & asserendo falsum: per machinationem,
vtendo furo & arte verborum, c. quacuncq; arte
22. quæst. 5. c. is autem, 22. quæst. 2. l. 1. ff. de dolo

Quis Effectus?

Exceptio, & actio personalis, arbitraria, & fa-
mosa, quæ infra biennij spatiū datur damnū pas-
so, eiusq; hæredibus contra dolosum & hæredes,
inquantum ad eos ratione commissi doli perue-
nit, ad hoc, vt restitutio fiat, vel, si re perēpta fie-
ri nō possit, ad id, quod interest Actoris vel quā-
ti Actor in litem iurauerit, l. arbitrio, ff. de dolo,
l. si plures, & l. sed & ex dolo, ff. eod. Potest et-
iam iudex contra dolosum pariter, vt contra cō-
tumacē, scilicet excōmunicando, deponēdo, da-
mnando in expensas, mittendo in possessionem
rerum suarum, vel aliam, pro arbitrio, infligen-
do pœnam procedere, Hostiens. eod. titulo, §.
qualiter, deprehēdatur. & notandum hic, quòd,
licet actio doli sit biennalis, exceptionem tamen
doli

doli esse perpetuam. Nam quæ temporalia sunt ad agendum, illa perpetua sunt ad excipiendum, l. purè, ff. de excep. dol.

Quid est Contumacia?

Contumacia est, erga iudicem, vel prælatum, commissa inobedientia, glos. in c. ad aures, extr. vt de temp. obed.

Quotuplex Contumacia?

Duplex, vera & præsumpta. Vera dicitur, cum quis, citatus & inuentus, nullum habens impedimentum, dicit, se venire nolle. Et contra talem procedi potest, nulla alia citatione facta, l. Fulcinius, ff. ex quibus causis, & c. Præsumpta est, cum quis solenniter citatus, licet non inuentus, non comparet, nec sufficientem procuratorem, in termino constituto, mittit, l. contumacia, ff. de re iud.

Quæ causa Efficiens?

Proteruitas, & inexcusata absentia Actoris vel Rei, c. cum dilecti, extr. eod. c. quoniam, extr. vt lite non contest.

Quod Obiectum?

Quilibet iudicialis actus, quem contumax, per præceptum iudicis, peragere, vel eidem adesse, iubetur.

Quæ Forma?

Vt trinis edictis, vel vno peremptorio (quod tantum temporis, quantum tria illa edicta continere debet) non compareat: vel in termino non compareat: vel, si compareat, non

X 4 obediat.

obediat: vel sine licetia iudicis recedat, c. certum, 71. quæst. 3. c. ex literis, extr. de excess. prælatorum, c. de illicita, 24. q. 3. Ad duo enim tenetur citatus, scilicet, comparere, & in termino comparere. Unde, si alterum complere nō possit, ad alterum tenetur. Ex quibus colligitur, varijs modis committi contumaciam, vt etiam notat Specul. tit. de contu. §. contumax, & Hostiens. §. qualiter, eod. Putà, si citatus non veniat: si veniat & nō respondeat, vel obscure respondeat: vel sine licentia recedat: si se absentet, vel latitet, &, impediatur, ne citatio ad eum peruenire possit: si ad mandatum iudicis non restituat, exhibeat, iuret, vel defendat, l. mutus, l. omninò, ff. de procurat. c. fin. extr. de iura. calum. c. cum locum, extr. de spons. c. 1. extr. de mutuis petit.

Quis Contumaciæ Effectus?

Quòd contumax, in omnem causæ euentum siue vincat, siue vincatur, condemnetur ei, qui in iudicio præsens fuit, in expensas, priuetur appellationis beneficio, puniatur per immisionem obedientis in possessionem suorum bonorum, excommunicetur, vel deponatur, Odofred. Bart. Bal. Ang. Salicet. & Fulgos. in l. properandum, §. si autem ex gestis, C. de iudicijs.

Circa hunc tamen effectum, & modum procedendi contra contumacem Actorem, vel Reum, distingue. Et primo, si Actor in primo vel secundo termino non venerit ad Reum, quem citare fecerat, Reo condemnabitur in expensis, & etiam in damnis & interesse totius litis, quia ad hoc
spe-

specialiter se debuit obligare, l. eum, ff. de iud. c. libellum, 3. q. 4. Si autem causa criminalis fuerit, excommunicationis censura coërcetur, atque à iudicio repellitur: nisi iustas suæ absentię afferat excusationes. Si verò venerit in peremptorio, Reus absoluitur, cùm Actoris contumacia Rei improbior censeatur, eò quòd Actori fidem standi apud iudicem facere, Reo autem fugere & causam extenuare liceat, c. 1. 3. q. 4. Hodie autem punitur in expensis: nisi veniat in primo vel secundo termino. Nec admittitur ad aliam citatione, nisi præstita cautione idonea, quòd in termino fideliter comparebit, c. actor, extr. eod.

Interest tamen, an lis cõtestata sit, vel non sit, Actore contumaciter absente. Nam si lis contestata non sit, euocandus est tribus edictis per interualla 30. dierum, & si non venerit, indulgetur ei annus, sed intra ipsum annũ veniēs, non auditur, nisi restitutus expēsis Reo: si verò intra annũ non comparuerit, iudex per allegationes & dicta testiũ, rei veritate cognita, sententiã super principali negotio ferre potest, c. causam, extr. eod. authent. qui semel, C. quomodo, & quãdo. Quòd si lis contestata sit, tunc Actor contumax citãdus est ad petitionem Rei, tribus edictis, quorum quodlibet debet esse decem dierum, & si, perspectis causæ meritis, causam examinavit, pronuntiare diffinitiuè poterit. Si verò ipse plenè exactis instructus esse non possit, absoluet Reũ presentem, ab obseruatione iudicij, nullo regressu ad causam reseruato Actori, & in omnem causæ euentum, siue vincat, siue vincatur condemnabit Actorem in expensas. Sciendũ etiam, quòd

X 5 quando

quando iudex absoluit Reum à termino, hoc fit et absque vlla citatione: secus si absolutio ab instantia iudicij, quæ ante litis contestationem peti debet, fiat. Hoc enim casu, cum omnia acta iudicij illi pereant, maior solennitas requiritur, d. l. properandum, C. de iud.

Si verò Reus sit contumax, tunc in actione reali, post litis contestationem, potest iudex, si ei de causa liqueat; vtpotè, quia testes recepti, vel instrumenta exhibita, vel confessiones factæ; vel absoluendo, vel condemnando, ad pronuntiationem sententiæ procedere, Reumque in expensas Actoris, in omnem causæ eventum, damnare. à qua nec appellans, cum hoc casu appellationi non deferatur; auditur, cap. prout, extr. eod. c. decernimus, 3. q. 9. Quod si iudicij, ob probationum defectum, vel aliud impedimentum, causæ merita perspecta esse non possunt, tunc adiudicanda est Actoris possessio, statimque fiet verus possessor, salua proprietatis quaestione absenti, d. c. prout.

Ceterum, si lis est nullo modo contestata, Reo contumaciter absente, non potest Actor petere, vt sententia feratur: sed summatim examinato negotio, mittendus est in possessionem reipetitæ, cap. quoniam, extr. vt lite non contestat. Et tunc Reus, vsque ad annum, poterit recuperare possessionem, restitutis expensis, & præstita cautione de iudicio fisci: anno verò elapso non audietur, nisi super proprietate, d. cap. quoniam. Et si, propter Rei dolum, vel potentiam, nequit potiri possessione, vel nactam perdit, nihilominus post annum efficitur possessor, c. contingit, extr.

extr. eod. Si autem agitur actione personali, & Reus contumax est ante litis contestationem, tunc mittitur Actor in possessionem bonorum ipsius Rei, causa custodiae, pro modo debiti declarati in libello, exceptis paucis casib. per Speculat. eod. titulo notatis, quibus in possessione omnium bonorum missio conceditur. Missus tamen non efficitur verus possessor, imò, restitutus expensis, & praestita cautione, venienti Reo restituitur possessio quaecumque, d. cap. quoniam: nisi iudicis autoritate sit ab Actore distracta.

AXIOMATA.

In ordinatione Camerae, inter cetera, disponitur, quod siue Actor, siue Reus contumaciter sit absens, nec compareat in iudicio, semper praesens possit in causa principali procedere, & causam liquidare: adeò, ut etiam iudex teneatur diffiniuè pronuntiare, si de causa constet, non attentata partis contumaciae absentia. & tali casu, si principalis causa diffiniatur, semper is, qui contumaciter absuit, siue vincat, siue succumbat, condemnari debet in expensis ei, qui iudicio praesens fuit, tit. 43. in fine, & tit. 43. § penultimo. in 3. parte.

Contumax est, qui trinis edictis, & vno peremptoria citatus non venit, c. certum, 11. q. 3.

Si iudex velit contumacem excommunicare, prius debet eum monere, ut adhuc obediat, comparando intra certum terminum competentem, & suam contumaciam expurget.

Actore contumace testes recipi, & sententia fieri debent,

debent,

332 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
debent, etiam lite non contestata, cap. causam, extr.
eod.

Si Reus, post litem contestatam, est contumax, si alias
liquet de causa fertur sententia diffinitiva: si non liquet
actor in veram possessionem inducitur, c. prout nobis, extr.
eod.

Beneficia Ecclesiastica sine dispendio diu vacare non
possunt, c. finem litibus, extr. eod.

Exceptionem peremptoriam opponens, si in eius pro-
batione deficiat, causa dilatae litis, in expensas damnari
debet, c. finem, eod.

Si Reus non invenitur literis valuis Ecclesia affixis, si
ratio celebratur, c. venerabilis, extr. eod.

Sententia in causa beneficii non transit in rem iudi-
catam respectu Superioris, quod minus potest de iuribus
partium inquirere, maxime, quando sententia fuit lata
contra absentem, licet contumaciter & indefensum, c. cum
olim, extr. eod.

Actor non admissus in possessionem sibi decretam per
iudicem, causa rei servanda, vel ab ea expulsus, per lo-
psum anni verus efficitur possessor, c. contingit, eod.

Contumax melioris conditionis, quam obediens, esse
non debet, d. c. contingit, §. ne igitur.

In Ecclesiasticis personis & negotijs rigor & distri-
ctio iuris non requiritur, c. 1. extr. eod.

Cum variarum poenarum datur optio, vnam ex plu-
ribus, qua magis timetur iudex infligere debet, c. à cra-
pula, extr. de vita & honest. cler.

DE

DE EO QVI MITTL
tur in possessionem cau.
sa rei seruandæ.

Titulus XV.

Continuatio.

Dictum est, in reali actione, mittendum Actorem in rei petite possessionem, causa rei seruandæ, vt tædio affectus Reus contumax veniat responsurus. Qui, si venerit intra annum, iudicio sisti, præstita cautione, ac exhibita satisfacti-
one congrua expensarum possessionem recupe-
ret. Quòd si cautionem intra annum offerre ne-
glexerit, Actor per iteratam iudicis missionem
verus constituetur possessor, super proprietate
duntaxat aduersæ parti defensione legitima re-
seruata. Debet autem vtraque missio per interpo-
sitionem decreti iudicis fieri.

Quotuplex est Decretum?

Duplex, Primum & Secundum.

Quid est Primum?

Primum decretum est, prima, à iudice iubente in possessionem rei seruandæ causa, facta missio, c. nos sumus, 13. q. 1.

Quæ causa Efficiens?

Iussus iudicis ordinarij mittentis obediètem in possessionem bonorum, causa rei seruandæ, ob contumaciam absentis, cap. constitutis, extr. cod.

Quæ

Quæ causa Procatartica?

Petitio & instantia Actoris, Rei contumaciam accusantis, c. quoniam, extr. vt lite non contest.

Quæ causa Impulsiva?

Est proteruitas cōtumacis Rei, & equitas conseruandi iuris competentis, c. 1. extr. eod. c. contingit, §. ne igitur, extr. de dolo, & cont.

Quod Obiectum?

Missio in possessionem rerum mobilium, & immobilium, tam in actione reali, quam personali, c. quoniam, extr. vt lite non contest.

Quæ Forma interponendi primi Decreti?

Vt, si tribus edictis, vel vno peremptorio citatus Reus non veniat, in actione reali mittatur Actor Rei contumaciam accusans, & se mitti petens, in rei petite possessionem, vt tædio affectu Reus, veniat respōsurus. In personali autem decernat iudex Actorem mitti in possessionem mobilium ipsius, vel immobilium, si fortè mobilia non habeat, pro modo debiti in libello declarati, d. c. quoniam. Exceptis quibusdam casibus, quibus non, pro modo debiti, sed simpliciter in possessionem mittitur. Primò, si petitur liber homo exhiberi, neque exhibetur: quia tunc fit missio in possessionem omnium bonorum, l. 3. ff. de lib. homine exhib. Ratio est. Quia libertas est res inæstimabilis, l. libertas est, ff. de reg. iur. Secundò, quando quis in possessionem mittitur ex beneficio Carboniani edicti, per totum, ff. de Carb. edict. Tertio, quando quis mittitur in possessionem, ex ventre, ff. de ventre in possessione mitt. l. 1.

Qui

Qui sunt Effectus primi Decreti?

Si in actione personali decretum interpositū fuerit, primus effectus est: quod missus habeat custodiam & defensionem rerum, quod dicitur iudiciale & prætoriū pignus: Videtur. n. sibi constitutū, simulatq; in possessionem inductus est, l. fin. C. de præt. pign. l. si legati, C. vt in pos. leg. 2. Interdictum, Vti possidetis, quod cōpetit pro defensione illius possessionis: & actio in factum quanti illa res erit. 3. Quod missus potior est alijs venientibus postea: quia habet hypothecam lege tacite constitutam, & etiam his, qui postmodum simili iussu iudicis capiunt. 4. Missus in possessionem ex primo decreto, verè non possidet, sed detentionem & custodiam habet, l. si finita, ff. de dam. infect. l. si duo, ff. vti poss. 5. Perceptio fructuum, quæ in possessionem misso, tanquam conuentionali creditori, conceditur, licet Reo intra annum venienti præstita cautione solita restituantur, cap. 2. extr. de sequestr. possess. l. Fulcinius, ff. ex quibus causis in poss. 6. Quod nisi debitor satisfaciat creditori misso in possessionem, poterit ipse creditor, sine libello petere à iudice bona vendi, in quorum possessionem missus est, si debitor latitat. 7. Quod missio vnius creditoris profit omnibus eiusdem tituli, l. 1. ff. de bo. auct. iud. possid.

Sin autem in reali actione, ob contumaciã absentis Rei, missio ex primo decreto facta sit, erit huius effectus. Primò: quod acquiratur misso

actio

actio ex illo edicto, ne fiat vis ei, &c. toto tit. ff. ne fiat vis ei qui, &c. Hoc enim prætoris edictum pertinet ad omnes cuiuslibet generis in possessione missos, l. 1. d. tit. 2. Quod idem de perceptione fructuum, ut in actione personali, obseruetur, 3. Quod statim incipiat possidere verè, non tamè incommutabiliter. Quia si Reus intra annum venerit, cautionemq; iudicio fisti, & exoluerit expensarum præstiterit, restituetur ei possessio. Quod si autem cautionem offerre neglexerit intra annum, Actor post annum verus & incommutabilis, etiam absque secundi decreti interpositione efficitur possessor, c. quoniam, extr. ut lite non.

Ratio autem diuersitatis, cur missus in personali non possideat, in reali verò sic: hæc est. Quia quando ago personali, ago contra illum, qui mihi obligatus est ex contractu, vel quasi, ex malicio, vel quasi. Quare si mittor in possessionem pro mētura debiti declarati in libello quodam, extraordinario iure mihi subuenitur. quia, ut ita dicam, mittendus essem in personæ possessione, quæ obligata est: sed quia persona libera possideri nō potest, ideò mihi succurritur in rebus, non ut eas possideam, sed ut custodiam, donec remedio affectus contumax, vel mihi soluat, vel ad iudicem veniat responsurus. Sunt tamen qui dicunt, missam nec in reali possidere, sed custodire & detinere, per text. in c. pastoralis, de off. ord. & c. contingit, extr. de dol. & cont. vbi dicitur: quod post annum verus efficiatur possessor, ergo antea non fuit, c. 1. extr. eod. Sed verius est, missum ex primo decreto in actione reali, verè possidere.

dere. Quia verbum, in d. cap. quoniam (verus) debet exponi, id est, incōmutabilis. Quia verè possidebat intra annum, sed commutabiliter, quod etiā probat d. c. pastoralis, vbi dicitur, quòd post annum recuperet Reus possessionem, ergo apparet, quòd amiserat. Et huic opinioni cōsentit etiam c. 1. extr. de sequestr. posses.

Quid est secundum Decretum?

Secundum decretum est, secundus iussus iudicis, quo missus in possessionem verus & incōmutabilis efficitur possessor, c. 1. extr. de eo qui mitt. in pos. l. pratoris, ff. de dam. infecto.

Quæ est causa Efficiens?

Est secundus iussus iudicis cuiuslibet ordinarij, habentis merum vel mixtum imperium. Est enim hoc meri imperij, & cognitionem habet penitentiariam, l. iubere, ff. de munici. c. ex literis, extr. de off. deleg. c. 1. extr. eod.

Quod Obiectum?

Iteratā missio in possessionē earum rerū quās missus ex primo decreto antea, non nisi detinebat & custodiebat. quod locū habet in causa dāni infecti, duplicibus iudicijs, & omnibus actionibus personalibus: non aut realibus. Quia in ijs transitus vnus anni, à tempore interpositionis primi decreti computati, absque sententia, vel vltiori decreto, facit missum ex primo decreto, verum & incommutabilem possessorem, c. contingit, extr. de dol. & cont. c. pastoralis, extr. de off. & ord. Quod non est in personalibus, in
Y quibus

quibus lapsus anni non facit missum possessorem sine secundo decreto. imò etiam post annum au-
diatur Reus super possessione, nisi res iudicis au-
thoritate sit distracta & vendita, Specul. tit. de se-
cundo decreto, & c. qui etiam huius diuersitatis
rationem ponit, & Bart. in gl. vlt. c. 1. extr. eodem,
& c. contigit, extr. de dolo, & cont.

*Quæ Forma secundi Decreti
interponendi?*

Secundum decretum nunquam interponi-
tur, nisi cum causæ cognitione, & vtraque parte
præsente, ideò ad petitionem missi in possessio-
nem aliquarum rerum, pro mensura debiti in fi-
bello declarati, iudex contumacem citabit, mo-
nebitq; vt pareat, & iudicio sisti caueat: quòd si
intra annum à tempore primi interpositi decre-
ti computandum, hoc contumaciter recusaue-
rit, per notarium vel tabellionem, omnium rerum
inventario cõfecto, & earundem æstimatione fa-
cta, constituet creditorem ex secundo decreto,
verum & incommutabilem possessorem: vel re,
in cuius possessionem missio facta est, eidem in-
solutum adiudicabit, vel, autoritate publica
vendendi facultatem concedet.

Qui Effectus?

Primò est. quòd per secundum decretum ali-
quando acquiratur dominium, c. 1. eod. Secùdò,
quòd creditor, cui res insolutum data est, habe-
at iustam causam possidendi, & præscribendi, siue
debitor fuerit dominus illius rei, siue non, c. Ab-
bate, de sent. & re iud. in 6. Et est ratio. Quia iuste
pos-

possidet, qui, prætoris auctore, possidet, l. iuste, ff. de acquir. pos. Tertio, per hoc creditori facultas fit istam rem vendendi. Tamen ad venditionem hanc, secundum Speculat. quatuor coniunctim requiruntur: 1. Quod missionem passus latitet, dicitur autem latitare, quando turpiter, & fraudulenter se occultat, ut euitet creditores, l. cum proponas, C. de bo. auct. iud. pos. 2. Quod fraudandi causa latitet, l. Fulcinius, ff. quib. ex causis in pos. 3. Ut de debito constet. 4. Ut tempus sit præteritum, & dies soluendi effluxerit, d. l. cum proponas. Decreta igitur venditione, & facta sententia diffinitiva, nunquam Reus auditur, verum decreto insolutum facto Actori, auditur adhuc Reus, volens de iure suo probare. Si verò res creditori adiudicata, vel vendita non fuerit, debitor in personali actione rem recuperare potest, vsq; ad 30. annos: Actori tamen, impensis, & interesse solutis, &c.

A X I O M A T A.

Missus in possessionem ex primo decreto in reali, per lapsum anni veram & incommutabilem illius rei possessionem acquirit, c. 1. extr. eod.

Voluntas, ad effectum non deducta, nulla est, d. cap. 1. eod.

Si passus missionem, repetens possessionem, allegat, se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum, præstita cautione, & dilata condemnatione expensarum, quam euitat, si postea constiterit, eum non fuisse contumacem, c. penul. extr. eod.

T 2

Si agitur

Si agitur actione personali, primò mittitur Actor in possessionem mobilium, si extant, alioquin immobilium, postremò etiam nominum, sicuti fit in executione rei iudicata, l. à diuo, ff. de re iud.

Missus in possessionem, ex primo decreto, non utetur bonis illis, vel fructibus, in quorum possessionē missus est, sed eos restituet infra annum cum ipsa re, c. 2. extr. de sequestrat. pos.

Vbi agitur personalibus actionibus pro temporalibus, non fiet missio in possessionem spiritualium, pro mensura debiti declarati, c. 1. extr. de iniurijs.

Creditor cuius, siue purè, siue in diem, siue sub conditione aliquid ei debeatur, potest postulare, vt in possessionem mittatur.

Hereditate petita ex testamento, vel ab intestato fieri potest missio in possessionem bonorum totorum.

Primum decretum generaliter interponitur, quotiescunque quis non defenditur, tam in realibus, quam personalibus actionibus, cap. quoniam, extr. vt lite non contest.

Iuris beneficium nemini est denegandum, c. frequēs, §. solet, extr. de rest. spoliat.

Secundum decretum nūquam interponitur, nisi cum causa cognitione, & vtraque parte presente, cap. 1. extr. eod. & cap. quoniam, §. quòd si super, extr. vt lite non contest.

Creditor, cui res in solutum data est, per secundum decretū, iustam causam possidendi & prescribēdi habet, c. Abbate, in 6. de re iud.

Iustè possidere censetur qui auctore pratore possidet.

Iudex

*Iudex potest decernere, iurisdictionem esse faciendam
in bonis, non sua iurisdictionis.*

*Superfluum est, petere quod de iure communi com-
petit.*

*Quod meum est, amplius meum fieri non potest, c. in-
ter dilectos, extr. de fide instrum.*

VT LITE PENDENTE nihil innouetur.

Titulus XVI.

Continuatio.

Lite pendente nihil innouandum: ita, vt nec
per missum in possessionem, causa rei seruanda,
nec missionem pactum, vel si missio facta
non sit per alterutrum litigantium ad inter-
uertendam, vel alienandam rem litigiosam quid
attentari debeat.

*Quomodò litis pendentia
fiat?*

Lis pendere dicitur, non tantum per litis con-
testationem, sed etiam per citationem, qua Reo de
negotio principali, super quo instituitur actio,
instruitur, deducto nomine litis, à contentione
limitis. Vnde Virgilius:

*Limes erat positus, litem vt discerneret agris,
c. forus, extr. de verb. sign. Clem. cum lite, tit. vt
lite pendente nil innouetur.*

Y 3 Qua

Quæ causa Efficiens litis pendentie?

Est litis contestatio. Quia lis, absque contestatione, propriè non est, neque iudicium, vel instantia; cum litis contestatio sit fundamentum iudicarij processus, ex quo instantia & iudiciũ constât, Alc. in l. postquam, C. de pactis, c. ex parte, extr. de verb. signif. Tamen cum lis etiam à citatione incipiat, sitq; sufficiens ad perpetuãdam iurisdictionem, c. gratum, extr. de off. deleg. traditum est, citatione etiam induci litis pendentiam. Ad quam tamen sex requiruntur, secundum Clem. cum lite, eod. tit. 1. Quòd citatio emanãrit. 2. Quòd à iudice competente. 3. Quòd ad citatum peruenerit, aut per eum steterit, quò minus perueniret. 4. Quòd ex tenore citationis plenè cognoscere potuerit citatus, qua de re futura sit controuersia. 5. Quòd citatio sit apta. 6. Quòd nũtius eam legitimè & sufficienter insinuauerit, per gl. in Clem. cum lite, eod. tit. Myns. obser. 26. cent. 4. ideò rectè Affl. dixit, Per citationem circumductam litis pendentiam non induci, decis. 366. num. 14. Inducitur etiam litis pendentia, per petitionem, vt quis carceribus mancipetur, ac per ipsam capturam: vt Calecial. voluit in Tract. de deb. susp. q. 27. Item per bonorũ sequestrationem, vt eo loci, num. 3.

Quis Effectus?

Quòd nec iudici, nec aduersario liceat, lite pèdente, propria temeritate aliquid innouare, nec etiam Principis auctoritate, absq; causæ cognitione. Vnde priuilegium, vel rescriptum, lite pèdente,

dentē, impetratum, nō valet, nisi de hoc expref-
sē mentionem faciat, c. vlt. extr. eod. & c. causam,
extr. de testibus. Nec matrimonio, ob causam cō-
sanguinitatis, accusato, priuandus est alter con-
iugum iure suo, quousque consanguinitas pro-
bata fuerit. Nec deijciendus, excommunicādus,
vel suspendendus est, in dignitate vel officio con-
stitutus, per inquisitionem impetratam. quæli-
bet enim innouatio in præiudicium vocati ten-
dens prohibita est: non debet igitur ille, iure vel
priuilegio, quo vti consuevit, lite pendente, de-
stitui, c. i. & per totum, extr. eod.

Quòd si autem aliquid innouatum fuerit, im-
mutans non tantum in expensas dānatur, verum
etiam attentato in pristinum statum reducto iu-
re sibi competenti priuatus, infamis efficitur, l.
penul. & vlt. C. vt lite penden. vel post prouoca-
tionem, aut defin. sententiam nulli lic. Imperato-
ri supplicare.

A X I O M A T A.

*Accusatus de adulterio, ad separationem thori, non
debet, lite pendente, possessione coniugali priuari, c. lauda-
bilem, extr. eod.*

*Rem litigiosam alienare non licet: ea tamen ita alie-
nata, vt rehiberi non possit, illius locum æquivalentē sub-
stituere tenetur, c. Ecclesia, extr. eod.*

*In decidendis litibus, iura, quæ tempore controuersie
fuerunt inspicienda sunt: Non autem priuilegium, lite
pendente, impetratum, nisi de litis pendentia mentionem
faciat, c. fin. extr. eod.*

344 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
DE SEQUESTRATIONE
possessioinum & fructuum.

Titulus XVII.

Continuatio.

PER sequestrationem inducitur litis penden-
tia: quæ, licet rei, in cuius possessionem mis-
sio facta est, regulariter non cõcedatur; eò quòd
nemini possessio temerè sit auferenda: tamen
quandoque exigente iusta rei conferuandæ cau-
sa, vel partium consensu, vel iudiciaria authori-
tate sequestratio fieri legibus iubetur.

Quid est Sequestratio?

Sequestratio est, rei controuersæ, vel fructu-
um eius, partium consensu, vel iudiciaria autho-
ritate, apud quendam tertium, & medium, inter
litigatores facta depositio, l. licet, ff. depositi.

Quotuplex est Sequestratio?

Duplex: voluntaria & necessaria. Volunta-
ria est, si litigatorum consensu, translata posses-
sione rei litigiosæ depositio fiat. Necessaria au-
tem dicitur, si iudicis autoritate res controuer-
sa ex causa deponatur: vt quia veretur iudex, ne
partes de possessione contendentes ad arma pro-
cedant, vel, quia missus in possessionem causa cu-
stodiæ malè in re ipsa versatur, vel, fructus dissi-
pat, c. dilectus, extr. eod. l. æquissimū, ff. de vsuf.
l. interesse, ff. de acquir. pos. l. si soluturus, §. fin.
ff. de solut.

Que

Quæ est causa Efficiens?

Consensus litigatorum, & iudicis authoritas,
d.l. æquissimus, ff. de vfuf. & l. interesse, ff. de acq.
pos.

Quod Obiectum?

Est res controuersa & litigiosa, l. licet, ff. de
positi. Non tamen quælibet res controuersa se-
questrari debet: sed sunt certi casus, quibus hoc
conceditur, extra quos sequestratio summa rati-
one, cum nemini possessio temerè sit auferenda,
prohibetur: 1. Si veretur iudex, ne ad arma &
rixas partes procedant, 2. Cum post appellatio-
nem fructus agri, de quo disceptatur ab aduersa-
rio, qui condemnatus est, depopulantur: nam e-
os fructus apud sequestrum deponi, æquum est, l.
Imperatores, ff. de appel. 3. In odium Rei contu-
maciter absentis res cõtrouersa potest sequestra-
ri, c. ex literis, extr. de dolo & contum. 4. In pe-
culio & alijs rebus eius, qui ex possessione serui-
tutis ad libertatem proclamat, quæ in tuto, pro
iudicis arbitrio, collocantur, l. 1. C. de asser. toll.
5. Si partes in sequestrationem consentiant, d.l.
si soluturus, ff. de solut. 6. Fauore religiõis, c. 2.
extr. de dol. & contu. 7. Quando persona, à qua
res mobilis petitur, suspecta sit defuga, l. si fide-
iussor, ff. qui satisfdare cogantur. suspecta autem
esse potest, vel ob deprauatos mores, vel si immo-
bilia non possideat, l. sciendum, ff. qui satisfd. cog.
8. Cum à sententiæ executione appellatur. Quo-
niam si res, de qua contenditur, mobilis est, se-
questratur, si immobilis, possessiõe apud appellã

rem remanente, fructus sequestrabuntur, l. ab executione, C. quo. appel. non recip. 9. Cùm inter dominum & colonum est de dominio rei controuersia. Nam si recusauerit colonus de restituendis fructibus satisfacere, fructus illi sequestrabuntur, l. litibus, C. de agri. & cens. lib. xj. Cui tamen obstare videtur l. si quis conductionis, C. de locato, Vbi traditur, conductorem domino, dominij quæstionem referre non posse. 10. Cùm maritus petit vxoris virginis restitutionem matrimonium contractum negantis: sequestratur enim puella quousq; causa terminata sit, c. cùm locum, extr. de spons. 11. Si vxor, cuius restitutionem maritus postulat, de scuitia viri probabiliter timet: quia vir eam capitali odio prosequitur. Nanq; tunc probæ & honestæ mulieri vsque ad finem litis, committi debet, c. ex transmissa, & c. literas, extr. de rest. spol. 12. Cùm apparet, maritum dissipare, oportet quippe tunc dotem sequestrari, quatenus ex ea mulier competens habeat solatium, l. si cùm dotem, ff. sol. matri. 13. Cùm præsidij prouinciæ familiares furtum passi sunt: nam de hoc furto ipse etiam præses cognoscere poterit, vsq; ad contestationem litis, vt per eam actio perpetuetur, & vltra poterit iubere vt res ablata exhibeatur, & apud sequestrum deponatur, l. senatusconsulto, ff. de off. præsid. 14. Si quæstio sit de possessione, & non possit probari, quis possideat, l. in sequestro, ff. de acquir. posses. 15. Quando possessor victus appellauerit, & incipit dissipare, vel alienare fructus: item est missus in possessionem causa rei seruandę dissipet, sequestrantur enim fru-

fructus, 2. q. 6. quot 2. inf. eod. c. vlt. & c. dilectus, extr. eod. 16. Propter contumaciam nolentis cauere, etiam conceditur sequestratio, l. 1. ff. de col. bo. Et deniq; ne impediatur vendēdi commoditas, l. si oleum, ff. de dolo.

Quæ Forma?

Vt litigatores rem controuersam litis causa deponant apud sequestrum, i. medium quēdam, inter litigatores insolidum: hoc fine, vt ipse possidens vsque ad tempus restitutioni destinatum custodiendo seruet rem, eamq; tempore elapso, restituat, l. sequester, ff. de verb. sig. l. 5. & l. 6. ff. depositi.

Quis Finis?

Vt res sequestro commissa seruetur.

Quis Effectus?

Est actio sequestraria, que, pro restitutione rei sequestratæ, competit, l. si in Asia, & l. si oleum, ff. de dol. malo. Et translatio possessionis in ipsum sequestrum. Vnde, ratione possessionis, ius percipiendi fructus, & ius præsentandi beneficia habet: si forsitan apud eum factum est sequestrum, Ecclesiæ, ac iuris patronatus, & sacerdotium valet, Felin. in c. Bertoldus, extr. de sentent. & re iud. glos. in Clemen. vni. de sequest. posses. Sequester enim possidet, quoniam ea depositione id agitur, vt neutrius litigatoris possessioni id tempus procedat, l. licet, ff. depositi. Quod verum est in voluntaria, hoc est, consensu & voluntate partium facta sequestratione:

tione:

tione: & nisi expressè contrà actum sit, hoc enim casu partium conventioni, quæ legem contractu dat, standum est, l. interesse, ff. de acqui. poss. At in necessaria sequestratione, quæ præcepto iudicis fit, secus est. Quia is non præsumitur litigatoribus possessionem auferre velle, Bart. in d. l. licet, c. 1. & c. 2. extr. eod. Accedat quòd exploratū sit, actum voluntarium necessario longè potentior esse, Accurf. l. 1. C. de iud.

Quæ Affinia?

Depositum, missio in possessionem, &c.

Quæ Pugnancia?

Existencia conditionis & temporis, quo res restituenda est, l. si quis, ff. de dolo. Dissipatio rei sequestratæ. Satisfactio litigantis; Pan. in c. 2. col. 1. extr. de sequest. poss. & fruct.

A X I O M A T A.

Sequestrum factum loco missionis, propter scandalum evitandum, reuocari debet, oblata cautione, & restitutio expensis, c. ad hoc, extr. eod.

Sicuti is, qui à sententia appellauit, ita is, qui in possessionem custodia causa missus est, si fructus dissipat, sequestratio fit, c. dilectus, & c. fin. extr. eod.

Vbi titulus, ad translationem dominij habilis, nõ præcedit, reitraditio custodia causa facta præsumitur, l. cum pater, §. pater, ff. de leg. 2.

Continentia causa diuidi non debet, c. 1. extr. eod.

DE CONFESSIS.

Titulus XVIII.

Continuatio.

AD instruendam causam, vtriusque partis probationes recipiendæ sunt, quæ vt commodiùs expediantur articuli & positiones (quæ nihil aliud sunt, quàm breues verborum formulæ, intentionem litigantium continentes, ad veritatem eliciendam conceptæ) in locum interrogationum, quibus ante litis contestationẽ iudex olim vti solebat; in hunc effectum, vt ponens ab onere probationis, per confessionem aduersarij releuetur, inductæ sunt. Ijs enim confessis, non ad probationes faciendas, quibus aduersarius liberatus est, sed ad diffinitiuæ sententiæ pronuntiationem, proceditur: quia in confitentem iudicis partes nullæ aliæ sunt, quàm vt condemnet, & pronuntiet, c. præterea, extr. de transf. act. c. statuimus, in 6. de confessis.

Quoruplex est Confessio?

Duplex iudicialis & extraiudicialis. Iudicialis est, eius, de quo in iure quæritur, clarè, spontè & liberè, coram competenti iudice, aduersario præsentè, facta responsio; c. 1. 15. quæst. 6. c. 2. extr. eod. c. præterea, extr. de transf. Extraiudicialis est, eius, de quo quæritur, extra iudicium, facta assertio.

Quæ causa Efficiens.

Est confitentis voluntas, spontanea & libera,
vel

350 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
vel inductione, vel alijs legitimis modis con-
uicta.

Quod Obiectum?

Obiectum confessionis est, rei gesta, vel ipsius
negotij veritas. Quia non, nisi quod verum est, &
ipso facto ita contigisse, vel in rerum natura exi-
stet, in confessionem venit: modò illud certum
fit vel incertum, cuius tamen incertitudo decla-
rari possit, c. 4. & 6. extr. eod.

Quae Forma?

Vt maior viginti quinque annorum, qui sit sana
mentis, & dominus causæ, contra se in iure co-
ram competenti iudice liberè, spontè, & scienter
confiteatur, veritatem rei gesta, vel negotium,
vnde versus in Hostiensi, eod. tit. §. qualiter:
Maior, spontè, sciens, dominus, pars, lis, sed & in se
Confessus certum, compos, pro iudice, iure,
Damnatur, nisi lex, fauor, aut natura repugnet.

Minor enim, vel pupillus absque tutoris au-
thoritate, in iure non confitetur: nec procurato-
ris confessio domino absenti nocet: nec furiosus,
nec propria confitentis confessio pro se iure sub-
sistit: vel si coram incompetenti iudice fiat: nec
coactè, metu, vel adhibitis tormentis facta con-
fessio pro iudiciali confessione habetur; nisi in
iudicio constanter persistat; nec si factum confi-
teatur, & tale quid, quod in rerum natura non
fuit, c. 2. extr. eod. c. 1. 15. quest. in 6. c. præterea, extr.
de transf.

Non tamen ore tantum confessio fit, sed etiam
rei euidencia, quæ nulla tergiversatione celari po-
test, contumacia nimia, paciscendo super crimi-
ne,

ne, taciturnitate: nam qui tacet, consentire videtur. Quod quidem obtinet, si in iure contumaciter tacet, & interroganti iudici respondere nolit, vel ab aduersario allegata non neget, c. 1. & c. 2. 15. q. 6. c. tuã, & c. vlt. ext. de cohabit. cleric. & mul. c. nullus, & c. nonne, extr. de præsump. c. ex eo. 15. quest. 3. c. sanè 24. quest. 2.

Quis Finis?

Si, 'citra solennem iudiciorum ordinem processum fuerit, est ipsa condemnatio, alioquin confessio in eum finem fit, vt iudici ad sententiam ferendam fides fiat veritatis, c. 1. vbi Dd. & glos. de confes. in 6.

Qui sunt Effectus Confessionis?

Confessus pro iudicato habetur. Quia confitens, se sua sententia quodammodo damnat, arg. c. nunc autem, 21. dist. 1. 1. ff. & C. de confes. Vnde ad condemnationem sententia non est necessaria: nisi libellum petierit, receperit, & lite contestata in forma iudicij confessus fuerit, l. Iulianus, ff. eod. In criminalibus igitur, in quibus exactè iudiciarius processus obseruandus est, diffinitiuam, ad condemnandum confessum, requiritur, l. confessus, ff. de custod. & exhib. Reorum, & Specul. eod. tit. §. effectus autem, licet Bart. in l. si confessus, ff. de custod. & exhib. reorum confessionem vim probationis, non sententiæ, habere existimet. quod, de sententia vera, verum quidem est, quasi confessio diffinitiuam, sententia vera esse non possit: attamen, cum Reus confitendo seipsum quodammodo iudicet, secundum illud: ex ore tuo te iudico, arg. c. nunc autem, distinct. 21.

&

& c. qui quod nouerit, 5. quæst. 5. Non inconuenienter vim sententiæ, quæ ex adductis Actoris probationibus formatur, habere dicitur. Ex quibus patet, confessionem præiudicare, cum iudicatum inducat. Interest tamen: an confessio in causa civili, vel criminali fiat? & hoc: an in iudicio, vel extra iudicium? Si in criminali, & extra iudicium, non nocet nisi ad torturam, ad quam iudicium facit contra confitentem. quia nullus priuandus est, nisi per viam iuris. Quæ triplex est: scilicet, accusationis, denuntiationis, & inquisitionis. Si autem fiat coram competenti iudice, præiudicat: in civili vero confessio in iudicio legitime facta, si non reuocetur, præiudicat, c. 2. & c. 3. extr. eod. Secus autem in extraiudiciali, nisi quis vel ad obligandum se alteri, vel ad liberandum eum sibi, solenniter adhibitis testibus, vel super possessione, quæ solo animo amittitur, confitetur, Specul. §. videndum, vbi ea latius explicat.

An autem confitens confessionem suam reuocare possit? Et traditum est per Spec. tit. eod. postremo, ante litis contestationem ex iusta causa posse reuocare. Quod si per aduocatum, vel procuratorem, tutorem, vel principalem, lite contestata confessio fiat, tunc, errore probato annullatam sententiam, litigator ad confessionis reuocationem admittitur, c. fin. extr. eod. c. cum olim, extr. de off. deleg. c. 2. 14. quæst. 2. Non post sententiam nisi fuerit appellatum, l. sub prætextu, C. de tractat. act. Licet etiam ante sententiam incontinenti, abique erroris probatione, reuocari possit, l. fin. C. eod. c. præterea, extr. de test. cogen. Si igitur confessus ad probandum errorem, siue in civili, siue in cri-

in cri

in criminali non admittitur, appellationis remedio sibi consulere potest, c. cum causam, extr. de appellat. Nisi conuictus, confessus, & manifestis argumentis superatus fuerit, l. fin. C. de errore aduocatorum, &c. Denique cum in causa appellationis nouis allegationibus, & defensionibus, & exceptionibus peremptorijs in prima instantia omis- sis ut liceat, errorem etiam in principali com- missum corrigere nemo prohibetur. Quia hoc ipsum, est exceptionem peremptoriam proponere, c. fraternitatis, extr. de test. c. cum Ioannes ext. de fide instrum.

Quæ Cognata?

Sententia, iusiurandum, transactio, euidencia facti, probatio, præsumptio iuris, &c.

Quæ Adiacentia?

Veritas, certitudo negotij, l. certum, §. si. ff. eod.

Quæ Pugnancia?

Minor ætas, furor, aliudque vitium vel defectus confitentis, c. partuli, 22. q. 5. confessio extra iudicialis, absentia aduersarij vel procuratoris, c. 2. extr. eod. si non fuerit super re litigiosa, vel contra ius, c. mancipia, dist. 54. Si à procuratore: quia ea non obest domino, metus, incompetencia iudicis & error facti, c. 1. quod metus causa, c. fin. ext. eod.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Confessus pro iudicato habetur, l. 1. ff. eod.

Sicuti sententia, ita nec confessio, reuocari potest, præterquam ex incontinenti. Nam confessiones repentina calore iracundia effusa non obligant, & statim reuocari possunt, Panor, c. cum venerabilis, ext. de excep.

Z Cum

Cum ordine iudiciario proceditur, & precipuus ordo iudicij sententiam exigat, definitivè, super confessione pronunciare iudex debet: secus, si de plano, & sine figura iudicij iudex cognoscat. In criminalibus autem, cum exactè iudiciorum ratio observanda sit, in ijs definitiva requiritur, Bald. in l. fin. C. de edendo.

Nulli in propria sua causa pro se creditur, sed contra se; & propria sua confessio non alijs, sed sibi, praiudicari debet, c. 1. extr. eod.

Confessio in articulo mortis facta, etiam pro confite, eiusq; heredibus, presumptionem inducit: quod nemo eo tempore presumatur mendacium dicere, Hip. in rub. de probat. C.

In criminalibus confessio extraiudicialis iudicium facit ad torturam contra confitentem, non aduersus iurium, nisi in tortura dixerit, Boer. decis. 319. parte 2.

Confessio non valet facta metu mortis, vel tormentorum vel cruciatûs causa, nisi perseveret in confessione, c. 1. extr. quod metûs causa, c. Lotharius, 31. q. 2.

Confessio per errorem facti iure non subsistit, unde reuocatur, quandocunq; ante sententiam, errore prohibito, c. fin. extr. de confess.

Confessio procuratoris, tutoris, vel curatoris, absente domino, facta ei obesse non potest, c. cum tempore, extr. de arb.

Si quis in instrumento confiteatur, se dotem ab uxore accepisse tamen talis confessio sibi non praiudicat: imò vxor eam repetens se eam numerasse probare debet,

bet, l. 1. C. de dote cauta non numerata.

Confessio metu tormentorum nullis legitimis precedentibus indicijs facta confitenti non praedudicat, nec ex ea Reus potest condemnari, etiamsi millies ratificetur, Myns. obser. 23. cent. 5.

Si eadem causa de vno iudice ad alium transeat, acta habita coram vno iudice faciunt fidem coram alio, c. causam, extr. de test.

Factum procuratoris non nocet domino, nisi in causa, in qua datus est, c. cum olim, extr. de off. deleg.

Confessio in iudicio facta praedudicat, dummodo facta sit legitime, c. 2. extr. eod.

Confitens, se non possidere, statim perdit possessionem, quia solo animo amittitur.

De crimine aliquo infamato est indicenda purgatio, c. 1. extr. eod.

Fauor matrimonij facit, vt nulla confessio coniugum ei praedudicat, ex quo publice est contractum, c. ex literis, extr. de diuor.

Confessio ad obligandum se alteri facta iure subsistit, secus, si ad obligandum alium sibi etiam millies facta, Spec. hic.

Confessio sine causa extra iudicium coram testibus facta non inducit plenam probationem, Spec. d. hic §. nunc videndum.

Præceptum confessio factum obtinet vim sententiae. Nam mandatur executioni, & actio ex eo nascitur, vt ex sententia, l. fin. C. de excep. rei iud.

Confessio criminis, p. contrarij probationem potest reuocari.

Error, per procuratorem, in iudicio commissus,

præiudicat: nisi eum reuocet. quod potest facere quando-
cunq; ante sententiam, errore probato, c. cum olim, extr.
de off. deleg.

Probatio per confessionem aduersarij, potest fieri post
lapsas omnes dilationes datas ad probandum, Inno. m.
vltra, extr. de test. & Myns. obser. 94. cent. 1.

DE PROBATIONIBVS.

Titulus XIX.

Continuatio.

Actor, ab onere probandi, releuatur, si aduer-
sarius intentionem suam confitetur, quam
si neget, probatio dicti sui ei incumbit.
Et ore enim non probante, Reus, etiam si nihil pro-
fiterit, absoluitur, 2. q. 1. §. 1. vt Eccles. bene. c. 1. de
caus. pos. & propri. c. cum Ecclesia, de iurei. c. fin.

Quid est Probatio?

Probatio est, rei dubiæ in iudicio legitime fa-
cta probatio, c. 3. extr. de testibus cog. c. qualiter
extr. de accusat.

Quot sunt probationum Species?

Varia sunt. Nam probationes fiunt: 1. Per tes-
tes, c. 2. extr. de probat. 2. Per confessionem par-
tium, c. nos in quenquam. 2. q. 1. 3. Per instrumē-
ta iuris præsumptione debita sollemnitate confe-
cta, c. omne, extr. de fide instr. 4. Per euidenti-
am facti, c. de manifesta, 2. q. 1. Vt si clericus habet
paruam filiam ex hoc probatur, virginitatem &
continentiam non fouere, c. priusquam, dist. 28.
5. Per

5. Per præsumptionem, per totum, extr. de præsump. vt si sæpè inuenitur solus cum sola, in loco secreto & sunt personæ suspectæ, præsumitur fornicatio, c. literas, extr. de præsumpt. Vera tamen probatio præsumptionem vincere dicitur, c. fin. extr. de præsump. 6. Per famam cum alijs probationibus, c. tertio loco, extr. eod. 7. Per iuramenti delationem factam à parte parti, c. fin. ext. eod. vel factam à iudice alicui litigantium, putà, quia semiplenè probauit, c. 2. ex. eod. & c. ex infirmatione, extr. de procur. 8. Per libros antiquos, & per scripturas antiquas in lapidibus, vel columnis sculptas, c. cum causam, extr. eod. c. peruenit 30. quæst. 1. 9. Per literas sigillatas sigillo Episcopi, c. post cessionem, extr. eod. c. curæ, 11. quæst. 3. Item sigillo Legati, Cardinalis, Abbatis, Capituli, vel Conuentus, c. tertio loco, extr. eod. c. statui-
mus, 19. quæst. 3. 10. Per denuntiationem publicarum personarum. 11. Per communem opinionem. 12. Per iudicia indubitata, c. excommunicauimus, extr. de hæret. Quarum probationum species vsitatioris his versibus continentur:

*Aspectus, cultum, testis, notoria, scriptum,
Iurans, confessus, præsumptio, fama, probabunt.*

Et habent prædicta locum in probatione facti, probatio verò iuris per leges, canones, consuetudines interdum directè, interdum per argumenta fieri debet, Specul. tit. de disputationibus.

Quæ est causa Efficiens?

Est, ipsa lex, accedente iudicis præcepto, præcipiens probationes afferri tam ab Actore, quàm à Reo, cum distinctionis quodam moderamine.

Primò enim Actori incumbit, vt intentionem suam probet, qua non probata, Reus, etiam si nihil præstiterit, absoluitur, l. qui accusare, C. de e. dendo, l. actor, l. si scriptum, C. de probat. Quòd si, productis probationibus actoris, Reus excipiat, pari ratione, illam exceptionem probare tenetur. Quia excipiendo Reus etiam Actoris vice subit, c. in exceptionibus, ff. eod. c. inter memoratos, 16. q. 4. Sunt tamen quedam à Doctoribus hinc notata, quæ, etiam nõ probata intentione Actoris, onus probandi in Reum transferunt. Primum est, exceptio, putà: peto à te decē, tu excipis, quòd soluisti: vel peto fundum, quem probò meū: tu excipis de præscriptione, & similia. Sanè his casibus in Reum transfertur onus probandi, quia excipiendo fit actor, c. ex literis, extr. eod. c. auditis, extr. de præscrip. Et hoc verum est, cùm Reus excipiendo aliquid asseueret: secus est, si excipiendo neget; vt patet in exceptione non numerata pecuniæ. Quia ea à Reo proposita, Actor numerationem probare tenetur, & non Reus exceptionem, l. si ex cautione, C. de non num. pec.

Secundum est, præsumptio pro Actore, quæ transfert onus probandi in Reum, c. contra morem, 100. distinct. Vnde, si aliquid relictum sit Episcopo in testamēto ab extranea persona, præsumitur intuitu Ecclesiæ sibi esse relictum. Quauis igitur ipse sit in possessione, & neget ille, ad Ecclesiam pertinere, tamen probare debet sibi soli esse relictum, c. pontifices, 12. q. 3.

Tertium est, spōtanea probationis assumptio: si enim reus velit onus probandi subire, mos ei gerendus est, vt, volens probare, admittatur, c. 1, extr.

1. extr. de restitut. spoliat. c. cuius rei causa, 29
quæst. 2.

Quartum est, iuramenti delatio: Si enim iudex Reo deferat iuramentum suscipere debet ipsum, quod præstitum loco probationis habetur, c. dilectio, 16. quæst. 4.

Quintum est, Actoris priuilegium: nam qui repetit tanquam indebitum, tametsi repetens sit priuilegiata persona, puta, pupillus, vel minor, vel miles, vel agricola, Reus probare tenetur, se debitum recepisse.

Sextum est, delictum: siquidem, si Reus, à quo debitè solutum repetitur, negat se ab Actore pecuniam recepisse, certè Actore solutionem probante, Reus necesse habet probare postea sibi debitum recepisse, c. fin. extr. de solut.

Septimò, in duplicibus & communibus iudicijs probationes vtriusque partis admittuntur, c. ex literis, extr. eod. l. in his tribus, ff. de iud.

Octauo, cum vterq; se afferit possidere, eamq; possessionem probat, c. licet extr. eod.

Nonò, in crimine falsi & læsæ maiestatis, & in sacramentis desertis, & prodicione patriæ & crimine peculatus, vtriusq; testes admittuntur, c. vbi, extr. de fal. c. quid ergo, 23. q. 4. Deniq; negatiua habens in se implicitam affirmatiuam à Reo probari debet.

Quod Obiectum probationis?

Obiectum probationis est affirmatiua facti incerti vel negatiua iuris propositio; si

ue in modum actionis, siue exceptionis, siue replicationis in iudicium deducatur. Factum enim incertum, quod affirmatur, probari debet: non autem, si certum sit, vel si ius affirmetur. Nam quæ certa sunt, vel per sententiam, iuramentum, vel transactionem definita, vel si ius affirmetur, nulla est opus probatione, Bald. in addit. ad Specul. titul. de test. §. nunc videndum. Pari ratione, negans factum onere probandi non est grauan- dus, cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio, c. bonæ, extr. de elect. Negatiua tamen iuris: quæ nihil aliud est, quam cum negatur aliquid iure factum esse, vt, iuris solennitatē abfuisse: vel negatur concedi, quod iure communi cōceditur: vt, aliquē emancipare, matrimoniū contrahere, adoptare, testari posse: ab opponente probari debet. Sed cur Neganti ius incumbit probatio, & non neganti factum. Respondetur, Quia præsumitur contra negan- tem ius. omnia enim præsumuntur licitè, & de- bitis solennitatibus confecta esse, nisi contrari- um probetur, c. aliud, 11. q. 1. sed contra negantem factum, nulla est præsumptio, nisi in casibus su- præ recensitis, quibus Reus etiam factum negans probationis onus subit.

Quæ Forma?

Quòd si per responsionē ad positiones non est ponentis intentio probata, lite tamen purè con- testata, debet iudex partibus terminum 15. dierum, pro prima dilatione, vel vnum men- sem, pro prima, secunda, & tertia dilatione
sta.

statuere (quarta enim dilatio absque solennitate legali, cuius forma extat apud Specul. tit. de teste, §. qualiter autem) non dabitur, Specul. tit. de probat. §. 1. lib. 2. par. 2. Et, ad productionem testium in termino faciendam, aduersus partem, citare etiam debet iudex, vel is, cui id negotij à iudice commissum est. Et cum sententia debeat esse conformis libello, sequitur non ad impertinentia quædam narrata, sed potissimum omnem probandi rationem ad ius ipsum agendi, quod necesse fariò ex narratione libello compræhensa fuit, esse dirigendam. Sicuti igitur Actori, post litis contestationem (antè enim ignoratur, an Reus negaturus vel confessurus sit?) ad probandam suam intentionem terminus assignatur: ita etiam Reo, ad fundandam suam exceptionem. Distingue tamen: aut exceptio peremptoria est, aut dilatoria solutionis vel pacti, aut dilatoria, & declinatoria iudicij. Si peremptoria, eam Reus proponere & probare, quandoque ante sententiam; scilicet, postquam Actor fundauerit intentionem suam; potest, c. ex tenore, & c. præsentium, extr. de testib. Si verò dilatoria sit exceptio solutionis, vel pacti, opponi debet ante litis contestationem, & probari, postquam aduersarius fundauerit intentionem suam, c. inter monasterium, extr. de sententia & re iud. Sed declinatoria iudicij, quæ quis sibi competere sciat, obijcienda & probanda ante litis contestationem erit, l. fin. C. de except. secus: si ignoret, eam sibi competere. Eo. n. casu, etiam post sententiam, opponi potest, l. licet, C. de procurat. Nota etiam, quòd ijs casibus, quibus neq; libelli oblatio, neq; litis contestatio

362 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
requiritur quod contingit, si simpliciter, & citra
solennem iudiciorum ordinem proceditur: quo
cunque tempore ante sententiam probationem
feri posse.

Quis Finis & Effectus?

Vt iudex probationibus instructus, & de cau-
sa controuersia edoctus, secundum allegata, etiam
postposita priuata conscientia, sententiam ferat.
Debet enim, vt inquit Clemens III. c. in praesentia,
extr. de renunciatione, ex confessionibus, de-
positionibus, allegationibus, & alijs, quae in eius
praesentia proponuntur, formare animi sui mo-
tum: & tanta sit iudicialis auctoritas, vt semper
pro iudice praesumatur, donec contra ipsum ali-
quid legitimè comprobetur.

Quae Cognata?

Confessio, communis opinio, iudicia indubi-
tata, euidencia facti, iuramentum, praesumptio
iuris, & fama.

Quae Adiacentia?

Totus processus examinandorum testium. Vt
sunt commisiones, dilationes, productiones te-
stium, adiunctio Notarij, exhibitiones interro-
gatoriorum, exceptiones, replicatio, & rotulus
examinis, &c.

Quae Pugnancia?

Actoris probationi contrariatur quandoque
diuersa probatio Rei, vitium formae & materiae
pro.

probationis condicio: vt, si legitimam personam
in iudicio standi non habeat, & contradictio in
probationibus inuēta Dd. in l. vbi repugnantia,
ff. de reg. iuris.

A X I O M A T A.

*Actore non probante, Reus, etsi nihil prestiterit, absol-
uitur, c. fin. extr. de iurei.*

*Negantis factum per rerum naturam nulla est dire-
cta probatio, c. bona, ext. de elect.*

*Negatiua facti pura simplex, & indeterminata, qua
nō habet determinationem temporis, loci, vel alterius rei
probari non potest, quia nulla sunt negationum causa, c.
iurauit, extr. de probat.*

*Negatiua facti determinata, scilicet habens determi-
nationem loci vel temporis probatur, saltem indirectè, c.
ex tenore, extr. de testi.*

*Presumptio pro Actore transfert onus probandi in
Reum, c. contra morem, dist. 100.*

*Probatione per instrumentum facta, presumendum
est, debitas solemnitates praecessisse, per totum, ext. de fide
instru.*

*Probatio semper facienda est contra producentem, c.
in presentia, de probat. glo. in c. cum clamore, ext. de test.*

*Probationes in vno iudicio facta fidem faciunt in a-
lio: & etiam facta coram arbitro fidem faciunt coram
iudice, & econtrā. Ratio est. Quia iudicium dignius est
arbitrio, & acta perpetua sunt, Spec. §. fin. eod. tit.*

*Probato vitio falsitatis rescinditur sententia, & om-
nia qua ex ea sequuntur.*

Cui-

Cuilibet in arte sua credendum est, cap. proposuisti, extr. eod.

Post quartam productionem, aut post publicata testimonia non est probatio admittenda, vt nec post conclusionem in causa: nisi in criminalibus ad probandam defensionem, vel Rei innocentiam, gloss. in c. sapè, extr. de verb. signif.

In contrarietate testium plerumq; maiori & digniori parti creditur, c. licet causam, extr. eod.

Contrarietas probationum omnem fidem documentis derogat, l. scriptura, C. de fide instrum.

Vbi ex conuentione, citra solennem iudiciorum ordinem, litigatores procedunt, possunt etiam ante libellum probationes fieri, Bal. in l. diffamari, C. de iur. manu.

In communi iudicio Actor & Reus probare tenentur, & si pariter probant, Reus absoluitur, nisi fauorem causam foueat Actor, cap. ex literis, extr. eod.

Non creditur marito adserenti etiam cum iuramento, vxorem se cognouisse, si vxor per matronas attestantes, per ipsius corporis aspectum, probat contrarium, cap. proposuisti, extr. eod.

Nec falsitas veritati præiudicare, nec iniquitas equitati præualere, debet, c. quoniam, extr. eod.

Si Actor & Reus in interdicto retinenda possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maximè iustificatam, vel meliores probationes, respectu possessionis, adduxit, c. licet causam, extr. eod.

Si rogatus restituere totam hereditatem, eo sine liberis decedente intret monasterium, euanescit fidei commissum,

missum, & hereditas applicatur monasterio, c. in praesentia, extr. eod.

Iudex non semper ad vnam speciem applicat mentem suam: sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quae in praesentia eius proponuntur, formare debet animi sui motum, c. in praesentia, extr. de renuntiatione.

Quod traditur, probationes imperfectas coniungendas esse, vt faciant plenam probationem, hoc verum est, quando probationes tendunt ad vnum finem, non aut. si ad diuersum, Felin. c. cum causam, extr. de probat. siue sint eiusdem generis, vt est in duobus testibus, siue diuersi, vt vnus testis cum fama, Mynsing. obser. 100. cent. 2. Nisi tales probationes coniungenda essent in sua specie imperfecta, puta, si fama probetur per vnum testem, & fuga probetur per alium testem, tunc non coniunguntur, cum quodlibet iudicium requirat duos testes, Abbas in c. transmissa, extr. qui filij sint leg.

Probationes non coniungantur, quando repugnant in modo, licet conueniant in fine, l. vbi pugnantia, ff. de reg. iuris.

Plures imperfectae probationes regulariter in criminalibus non possunt coniungi ad faciendam probationem plenam, & perfectam. quod verum est, si in causis criminalibus ad poenam corporalem, siue effectum puniendi, agatur: secus si tantum ad effectum torquendi, vel inquirendi aut suspendendi, Myns. obser. 33. cent. 5.

Si testes varient in circumstantijs, an sint singulares? Distinguit Speculator, tit. de teste, §. iuxta, de interrogatorijs, num. 13. Si tempus & locus sint de substātia actus,

ita

ita quòd ex temporis & loci varietate veritas causa va-
riet, tunc testes in tempore & loco singulares non probant.
Sin verò ad substantiam actus, ad articulum cause prin-
cipalis, tempus & locus non sint necessaria, singularitas in
huiusmodi qualitatibus testibus non nocet, & dicit Bald.
in l. actor, C. de probat: quòd si eadem veritas reluceat,
tunc procedit ratio concordia in testibus singularibus, licet
varijs medijs percepta.

DE TESTIBVS ET ATTE- stationibus.

Titulus XX.

Continuatio.

INter omnes probationum species efficacior
est illa, quæ fit per testes, quorum fides ad ali-
cuius rei dubiæ confirmationem inuocatur, &
illud, extr. de præsumpt.

Qui sunt Testes?

Testes appellantur personæ, quarum dictis &
testimonio Actor vel Reus ad fidem alicuius rei
fauendam vtitur, Socin. conf. 39. num. 10. vol. 1.

Quæ causa Efficiens.

Admissio, citatio & coactio iudicis. Hoc enim
generale est, omnes, quibus non specialiter inter-
dicitur testimonium, neq; qui vlla lege à dicendo
testimonio excusantur admittendos, citandos,
& cogendos esse, l. 1. ff. eod. Spec. de test. §. 1. nu. 96.
Sunt autem quidam, etsi à parte in iudicio quasi
testes nominati sint, tamen ex causa non admit-
ten-

tentur, vel, si admittantur, tamen non citantur,
& si citentur, tamen quandoque ad perhiben-
dum testimonium non coguntur. Circa primū
nota versus in Hostiens. §. quis possit, eod.

*Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Fortuna, fides, in testibus ista requires.*

Primò igitur conditio impedimēto est, quò mi-
nūs quis ad testimonium dicendum admitta-
tur: vt seruus in dominum; nam sæpè seruus me-
tu dominantis supprimit veritatem, c. forus, ext.
de verb. significatione; nisi alijs probationibus
deficientibus: tum enim cum tormentis admit-
titur, 4. quæst. 3. Sexus: repellit mulierem à testi-
monio in criminali & testamento: non autem ci-
uili vel criminali; quod ciuilitè intentatur. Et
ratio est. Quia varium & mutabile semper est
mulier: nec præsumitur firmum aliquod & con-
stans testimonium producere, c. de crimine, 15. q.
3. & c. forus, §. vlt. extr. de verb. sig. Admittitur
tamen secūdum Canones, si de crimine ciuilitè
(vt dixi) vel in modum denuntiationis, vel in-
quisitionis seu exceptionis, agitur etiam parti-
ceps criminis & contra clericos, c. quoniam, &
c. tam literis, extr. eod.

Ætas: causa est prohibitionis testimonij feren-
di in pupillo, l. 2. ff. de testi. nisi agatur de crimi-
ne læsæ maiestatis: tunc enim de minore 14. an-
nis quæstio haberi poterit, eiusq; testimonium
admittetur, l. de minore, ff. de quæst. Alioqui mi-
nor viginti annis in causa criminali testis esse
non potest, l. in testimonium, ff. de testibus:
Sed nunquid pupillus factus pubes possit te-
stificari de his, quæ vidit in pupillari ætate?

cre

crebrior opinio est, quòd possit, secundum glof. super verbo contigerit, in l. ad testium, ff. de test. & glof. super verbo, neq; impubes, §. testes autē, in ff. de test.

Discretio: in testimonijs desiderata, repellit furiosos, mēte captos, & huiusmodi homines mentis sensu priuatos, c. quia non sentit, 3. q. 7. c. vlt. extr. de succes. ab intest.

Fama: impedit admissionem infamium. Vt sunt damnati publico iudicio, qui, ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse iudicati conuictiq; fuerint, damnati re-petundarum, aut, ob crimen famosum, aut calumniam, aut adulterium, ob vitæ turpitudinem senatu moti, hæretici, mulier, quæ corpore questum palàm facit feceritq;, & omnes infames, quos leges seculares infames esse asserunt, & ex Iulia iudiciorum publicorum à perhibendo testimonio arcet, c. constituimus, 3. quest. 5. & l. 3. ff. eod. Nonnunquam tamen hæreticorum testamentaria testimonia, & quæ in vltimis elogijs, vel cōtractibus cōsistunt admittuntur, propter vtilitatem necessarij vsus, ne probationum facultas angustetur, l. pen. C. eod. Denique, ratione consanguinitatis testimonij ferendi extat prohibitio: vt est inter personas ascendalis lineæ, & proximiores collaterales, sub quadam distinctione, vt ex sequentibus patebit, pater enim in testimonio filij de peculio testantis testis esse potest, similier & frater, l. qui testamento, ff. de testamento. Parentes quoque, fratres & cognati vtriusque sexûs in testificatione suorum, ad matrimonium coniungendum, vel dirimendum, ad-

admittuntur. Nec obstat quòd dicitur, patrem filio, vel filium patri, idoneum testem esse non posse, l. testis idoneus, ff. de test. Hoc enim in criminalibus causis & contractibus obtinet, non autem in matrimonio coniungendo, vel disiungendo, ex ipsius coniugij prerogatiua. Atqui hoc à fratribus distinguuntur parentes & liberi, quòd parentes vtriusq; sexus & liberi, siue volentes, siue nolentes, pro se vel aduersum se prohibeantur testimonium dicere, l. parentes, C. de testibus: Frater autem contra fratrem, nec in ciuili, nec in criminali causa testimonium dicere cogitur. Volens autem contra fratrem testificari in nullo iudicio repellitur; lex enim Iulia solùm dicit, non cogi inuitos, volentes autem non prohibet, l. lege Iulia, ff. de testibus. Quòd si autem frater pro fratre testificari velit in criminali causa, nõ, nisi in defectum aliorum testium, admittitur, Panor. in c. cum dilectus, extr. de elect. sed in ciuili indistinctè testimonium fert: nisi vterq; fratrum sub vnius sint potestate cõstituti, aut communi victu ac vitæ consuetudine vtentes vnà degant, eisdemq; ædibus commorentur, l. 2. C. eod. Eo enim casu domestici & familiares sunt, quorum testimonium iure ciuili improbatur, c. in literis, extr. eod. l. 2. C. eod. Familiæ appellatione, omnes, qui in seruitio sunt, continentur, etiam liberi homines bona fide seruietes. Vel qui in potestate sunt, vel qui cum illo, à quo producuntur: commorantur, secundùm glos. c. 1. 3. q. 5. c. insinuante, extr. de off. iud. deleg. Domestici dicuntur, seruus, colonus, adscriptitius, familiaris, libertus, & mercenarius, qui operas

A a suas

suas alicui locat, l. vlt. §. sanè enim, C. de his qui ad Eccles. confug. l. respiciendum, §. furta domesticæ, ff. de pœnis. Ob probationis tamen inopiam & difficultatem, etiam horum testimonium quandoq; recipitur, Pan. in c. fin. extr. eod.

An autem subditi testes esse possint in causa Principis, cuius potestati sunt subiecti? Et videtur quòd non. Quia idonei non sunt testes, quibus imperari potest, vt testes fiant, l. idonei, ff. de testibus. Nam & tales testes sunt adhibendi, qui omni gratiæ & potentatui fidem possunt præponere, l. 4. C. de testib. Tamen propter vtilitatem necessarij vsus, & ne probationum facultas angustetur, Rex, Dux, Comes, cæteriq; iurisdictionem habentes subditos suos in testimonium producere poterunt. Quia persæpè huiusmodi personæ aliter quàm per subditos probare nequeunt. Et licet idoneus testis, cui imperari possit, vt testis fiat, non reputetur, d. l. idonei: tamen illa obtinet in eo, cui imperari potest, ratione dominicæ vel patriæ potestatis: non autem in eo, cui imperari potest, ratione iurisdictionis tantum, &c.

Quid aut, si causa respiciat commodum publicum & in consequentiam testium productorum priuatum? Et communis Doctorum opinio est, admitti posse, si abj testes haberi non possint. Quia hîc non consideratur, quid in consequentiam veniat, sed quòd causa directò respiciat, Lat. in c. quoniam, ver. testium, num. 76. & 77. extr. de probat. Textus autem in l. nullus idoneus, ff. de testibus, intelligitur, quòd nemo in re sua priuata, vel cuius commodum & vtilitas ad se directò spectat, testificari possit: vt sunt, socius omnium
bo.

honorum, vel eius rei, quæ petitur, & super qua testimonium ferendum est, commune enim esset lucrum: socius & particeps criminis, quia absolutio vnius alteri prodesset, l. quoniam liberi, C. de testibus: Actor, Reus, quorum causa agitur: debitor, venditor, ad quem periculum euictionis redit: patronus, iudex, procurator, executor, quibus etiam connumerantur, qui de domo producentis producuntur, Spec. tit. de test. §. 1. Dd. in l. omnibus, C. de testibus.

Ex illis autem, qui admittuntur, non autem euocantur, sunt, valetudinarij, senes, vel debilitate confecti, aut paupertate laborantes, vt non possint ad iudicis præsentiam adduci, & illi non sunt euocandi, sed ad testimonia eorum audienda, & dicta recipienda, idoneas personas mittet iudex, c. si quis testium, extr. eod. ita & ius civile ad personas egregias, eosque, qui valetudine impediuntur, domum mitti iusiurandum statuit, l. ad personas egregias, ff. de iurei. Item, si testes, illius iudicis iurisdictioni, vbi causa agitur, non sint subiecti, per subditum iuris citandi, & examinandi sunt, hoc est, admittit quidem iudex causæ, suæ iurisdictioni non subiectos testes, sed quia extra territorium vel iurisdictionem ius dicenti impunè non pareretur, l. extra, ff. de iurisdictione. ipsos non citat, sed requirit iudicem loci, vbi testes degunt, vt testes examinet, atque recipiat. Alij verò: qui, licet admittantur, & citari possint, vt veniant testimonium perhibituri, inuiti tamen non coguntur: sunt senes, valetudinarij, milites, vel illi qui cum magistratu Reipublicæ causa absunt, vel quibus venire non

Aa 2 licet,

licet, l. inuiti, ff. eod. Senes intellige maiores 70 annis; illos enim onere publicorum munerum Lex eximit, l. 3. ff. de iure immunitatis. Inuitos testimonium non dicere asserit Ulpianus. publicanos, qui quid à fisco cōductionis titulo acceperint, & eos, qui quid exercitui præbendo conduxerint, vel non detrectandi testimonij causa, aberint, l. inuiti, ff. de testibus.

Contra illos etiam consanguineos, qui lege Julia continentur, omnes excusantur, ne inuiti ad dicendum testimonium cogantur: ut sunt, aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, & eorum liberos, vel, qui his propiore sanguinis nexu iunguntur, (quam excusationem putat VVesenbec. hic vsq. in sextum vel septimum gradum extendi.) Item in patronum libertum, virum, uxorem, illorumque liberos, l. lege Julia, ff. de testi.

Et hæc iure civili obtinent, iure autem Pontificio multæ personæ ex illis, in veritatis eruendæ subsidium, ad dicendum testimonium compelluntur: scilicet, seruus, socius, mulier, & illi, qui necessitudine sanguinis sibi inuicem sunt de iuribus, parentibus & liberis, ob iuris fictionem, quæ à propria persona habentur, alij quoque ut iuris absurditas euitetur, exceptis, l. fin. C. de impub. sub. c. venerabilis, Canonistæ in c. 1. & c. cæterum, ext. de testib. cogend. c. peruenit, extr. de test. cog. Spec. penul. nu. 2. tit. de teste.

Quod est Obiectum?

Factum ipsum ciuiliū & criminalium causarum, non autem ius, quod ex ipso facto oritur, Et

Et consuetudo, quæ legis vim habet: ea enim aliter, quàm per testes, probari non potest, c. testimonium, extr. eod. & c. 2. eod. in 6. Quoniam testes super articulis, qui ex substantia & corpore ipsius libelli, quò ad ipsum factum attine, tdesumuntur, ad eliciendam veritatem examinantur. Necius articulis comprehendendi debet, cum ad articulum iuris nemo respondere obnoxius fit, multò minùs igitur super tali testis producendus & examinandus, Mynsing. obser. 88. cent. 5. secus est in positione super consuetudine, huic enim responderi debet. Ratio est. Quia, licet consuetudo vim legis habeat, & sic ius statuere dicatur, ipsa tamen quò ad actus ad inducendam consuetudinè requisitos multum facti habere intelligitur, c. ad Apostolicæ, & c. in aliquibus, ext. de decimis. Bal. l. 1. ver. super statuto, C. quæ sit long. consuetudo, glos. c. 2. ext. de consuet.

Quæ Forma?

Forma hîc considerari potest, vt consistat in recipiendis, producendis, & examinandis testibus, publicandis attestacionibus.

Quæ Forma recipiendi & producendi Testes?

Regulariter, lite non contestata, non proceditur ad testium receptionem, & si recipiantur, frustratorius redditur processus: nisi cum timeatur de morte vel absentia testium, vel ad æternam rei memoriam, ne veritas occultetur & probationis copia subtrahatur, vt notatur in c.

quoniam, extr. vt lite non contest. Quo casu si à parte Actoris, lite non contestata, testes fuerint recepti, eorum dicta in publicam scripturam rediguntur, nec partibus publicantur, donec lis fuerit contestata, & alij testes inducti. Verum, cum Reus citatus in iudicio adest, Actor verò contumaciter abest, tunc testes Rei recipiuntur, lite non, contestata & publicantur, ferturq; sententia, Specul. titul. de test. §. nunc tractemus, numer. 5. Iudex igitur, articulis, super quibus testes examinari debent, libello congruentibus acceptis, terminum, intra quem producens producat suos testes, assignet: intra quem si omnes non produxerit, secundum statuat, vel etiam, si opus fuerit, tertium, quartam autem dilationem, ad productionem faciendam, absque solennitate legali, non concedet. Quæ talis est: vt, præstito à litigatore sacramento, quòd nec ipse, nec quisquam omninò suorum, putà, aduocatus, vel procurator, testificationes explorârit, quodque nulla doli aut calumniæ, sed necessariæ probationis causa, quartam dilationem petat, Spec. titul. de teste, §. qualiter autem, & c. vltra, & c. in causis, extr. eod. Terminus autem productionis testium erit spacium sex septimanarum, intra quod spacium termini præstituti loco concessum, iudex, vel is, cui examinatio testium commissa est, testes iudicialiter admissos, ad locum & diem certum citet, illudque, admissis simul articulis probatorijs & nominibus testium aduersario denunciât, certificet producentem. Qui si statuto die compareat, præsentente aduersario vel,

eo contumaciter absente, legi nomina testium, eosq; prestito veritatis iuramento, ad totam causam examini subijci petat. Post hæc iudex, vel is, cui id negotij commissum est, facta de exceptione contra testes producenda solita protestatione, & interrogatorijs per se, vel per procuratorem ab aduersa parte non producenti sed iudici exhibitis testes recipiat, atq; præstationem iuramenti imponat. Quæ quidem, ad euitandam præscriptionem, quæ producenti obesse possit, intra terminum productioni præstitutum, expediri debent: licet post terminum testes sigillatim examinis rigori subijciantur, c. quanquam, 14. q. 2. c. vidua, 20. q. 1. c. induciæ, 3. q. 3. l. penu. C. de testibus.

Quæ Forma examinandi testes?

Præuia citatione, & iuramento, de dicenda veritate, à testibus exacto, iudex sigillatim cui libet testium præstiti iuramentum memoriam refricet, eiusq; grauitatem & periurij pœnas explicando, ne se huiusmodi pœnis & maledictioni subijciant, admoneat, super omnibus articulis à producente oblatis (nisi aliud placeat) & interrogatorijs ab aduersario iudici exhibitis, adiuncto tantùm notario, qui omnium dicta consignet, à quolibet seorsim, & secretò veritatem exquirat, c. venerabili, extr. eodem, c. nuper nobis, & c. significauit, eodem. Examine de omnibus circumstantijs: videlicet de causis scientiæ, persona, loco, tempore, visu, auditu, credulitate, fama & certitudine. Debet enim testis dicti sui, & scientiæ causam

in medium proferre, si de hoc fuerit interrogatus, nam solam testationem prolatam, nec alijs legitimis adminiculis causam probatam, nullus est momenti. Causam autem scientiæ assignabit per illum corporis sensum, quo percipitur id, de quo interrogatur, ut visum, auditum, vel alium. Imò etiam de minutissimis circumstantijs, de vestitu, de vestium colore, cæterarumque rerum exactissima qualitate indagabit: ut scilicet explorare possit, num suspectorum testimonij fides adstipuletur. Oportet enim iudicantem cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, 3. q. 5. secundum glos. in ver. ex tempore, §. in testibus, 4. q. 3. & glos. super ver. causam, §. licet dudum. Postquam iudex testem examinavit præcipiet ei, ne alteri partium quicquam illorum, quæ dixit ante publicationem reuelet. Nota etiam, quòd iudex si articulos, & interrogatoria impertinentia aduerterit, illis reiectis, super eo, in quo cardo principalis negotij consistit, testes examinare possit, si tamen in tota causa iuratum sit, Ioannes An. in c. præsentium, eod. in 6.

Quæ Forma reproducendi Testes?

Si producens eosdem testes, ob examinis obscuritatem, vel nullitatem, reproducere, vel alios super eisdem articulis inducere velit, hoc ei, intra terminos tribus productionibus vel dilationibus datos, cum obseruatione horum, quæ obseruanda in productione notauimus, conceditur, l. repeti, ff. de quæst. c. constitutus, c. cum clamor, & c. per tuas, extr. eod. Si tamen nulla causa

causa obscuritatis, vel nullitatis, subfit, tanquam suspectus reproducere testes volens repellitur: nisi super nouis articulis dependentibus ex veteribus reproducantur. Manifesti enim iuris est, ante edita testimonia, vel didicita testificata, licere alicui trinas productiones intra terminum à iudice productionibus præstitutum facere. Quarta autem productio absque solennitate legali, vt dixi, nõ permittitur, c. cum clamor, & c. 2. ext. eod. Spec. §. 1. num. 72. §. satis, num. 3. c. vltra, extr. eod. c. in causis, & c. seruafti, extr. eod. Quod non tantum de diuersorum testium productione, sed etiam eorundem testium reproductione, causa æquitatis ita suadente, accipiendum est.

QVÆSTIO.

*An examen Testium alteri committi possit? Et
quæ forma constituendi Commissarios,
atque Commissionis?*

Iudex potest committere examinationem absentium testium, iudici illius territorij, sub quo testes degunt, & mandare partibus, quod coram eo compareant: & hoc, siue testes ab Actore, vel Reo, ad probationem positionalium, vel defensionalium, aut alicuius instrumenti probationem producantur, per tex. in l. iudices, C. de fide instrumentorum. Sed, ex communi iudiciorum vsu Commissarij à partibus nominantur, nominati plerunque deputantur, vel in eorum

locum, si ex iustis causis suspecti allegantur, nec idonei iterum nominentur, ex officio alij conceduntur, cum potestate adiungendi notarium non suspectum, c. statutum, §. insuper, §. affessorum, §. notarium, de rescrip. in 6. Articuli, super quibus testes examinandi sunt, vnà cum commissione Commissario transmittuntur, qui postea partem aduersam, ad dandum sua interrogatoria, si velit, & ad videndum iurare testes: prætereà ipsos testes, ad testimonium in loco & tempore commodo perhibendum, citare debet, c. 2. extr. de test. & glos. ibidem in verb. testibus & Panormita. num. 10. Si citati comparere nolint, mandatis pœnalibus eos coërcebit, tot. tit. extr. de testib. cogend. Quòd si compareant iuramentum veritatis illis deferret: testis enim iniuratus nullam fidem facit, cùm tota substantia depositionis testium in iuramento consistat, licet, ext. eod. Licet quandoq; partium consensu & voluntate hoc iuramentum remittatur, & potissimum, si testes sint personæ illustres, aut aliqua dignitate, vel officio publico, constituta, c. in tuis, extr. de testibus. Et est ratio. Quia iuramentum testis, respicit fauorem partis, contra quam producitur, vt scilicet veritatem dicat, nec est substantialis solennitas, ideò valet renunciatio, c. si diligenti, extr. de for. comp. Iuramento autem veritatis præstito, & examinatis, secundùm formam suprâ præscriptam, testibus, iidemque silentio imposito, Commissarius rotulum, siue attestations partibus non communicat, sed suo sigillo obfirmatum ad committentem transmittit, c. cùm clamor, extr. eod. co-

ram

ram quo postea, ad instantiam partium, publicatio facienda est. Et sciendum, quod commissi-ones, ut plurimum in communi forma, puta: ad recipiendos testes tantum: raro in optima forma; id est, ad recipienda & transumenda instrumenta; decernantur. Sub communi autem forma ocularis inspectio comprehenditur, hoc est, ut Commissarius rem oculis subijciat, & in rem presentem eat.

Quæ Forma publicandi testium dicta, siue attestaciones?

Testibus productis legitimè examinatis, debent partes vltiori testium productioni, post terminum lapsum, renuntiare, quæ renuntiatio loco conclusionis est: & producens petere ut eorum attestaciones publicentur. Quod si & aduersarius in publicationem consentiat, nec producentis petitioni aliquam exceptionem obijciat: ut puta, quia ab his, quibus testium examinatio commissa fuit remissionem non esse factam, vel se omnes suos testes nondum produxisse: iudex, presentibus partibus vel contumaciter absentibus, ipse legat, vel precipiat alteri, ut legat publicè in iudicio dicta testium in tali causa receptorum. Absque aut contumacia, altera parte absente, publicari non debent, ob protestaciones in actu publicationis consuetas, quibus pars absens & non citata vti posset, Spec. §. satis vtiliter titul. de test.

Qui

Qui sunt Publicationis Effectus?

Primus est: Quòd, publicatis attestationibus nihil obijci potest in testium personas, nisi tribus casibus in c. præsentium, extr. eod. notatis.

1. Si iuratur, id ex malitia non fieri.
2. Si quis ante publicationem protestatione sibi in personas testium obijciendi facultatem reseruarit.
3. Quando ostédere potest, se, post publicationem, quod obijcere vult, didicisse.

Secundus effectus: Quòd, attestationibus publicatis, non liceat super, eisdem, seu directò contrarijs articulis alios, vel eosdem testes in principali causa producere. Excipit Specul. multos casus:

1. Si inter alias personas agatur, c. constitutus, extr. eod.
2. Si sit diuersus modus agendi, c. veniens, eod.
3. Si sit nouus articulus diuersus, pendens ex veteri, c. fraternitatis, extr. eod.
4. Si primæ attestations sint amissæ.
5. Si mutatur iudicium, & is velit, contra quem producantur testes, c. præsentata, extr. eod.
6. Si obscure & nulliter deposuerunt, d. c. cum clamor.
7. Si examinatio super quibusdam articulis fuerit omissa.
8. Si in causa matrimoniali, c. series, eod.
9. Si detur in integrum restitutio.
10. In causa appellationis, c. cum Iohannes, extr. de fide instr. alia enim videtur esse causa.
11. Publicatis testibus, possunt testes reprobatorij produci.
12. Etiam exceptio peremptoria proponi & probari.
13. Si testes sint recepti ad æternam rei memoriam, & publicati secundùm formam, traditam in c. significauit, extr. de testibus, & alia.

Tertius effectus est: Quòd, sicuti attestationibus

bus publicatis, non licet super eisdem, seu directò contrarijs articulis, alios, vel eosdem testes in principali causa producere: sic nec in causa appellationis de iure Canonico licet, iuxta tex. in Cle. 2. de testibus. Dicunt enim Canonistæ, quòd vtrobiq; eadem causa subornationis fit timenda: nec obstare, quòd in causa appellationis, non deductum deducere, & non probatum probare, licet. Hoc enim verum esse in articulis nouis, qui ex antiquis dependent, quia id ipsum etiam in prima instantia conceditur, iuxta c. cùm Iohannes, extr. de fide instrum. Qui autem dicantur noui articuli? Vide Specul. in §. satis vtiliter, num. 7. tit. de test. Qui quatuor modis nouum esse existimat. Quòd si testes non super certis articulis editis, sed simpliciter super quæstione totius cõtrouersia, producti essent, postea denuò produci non possent. cùm enim super tota causa generaliter & indefinitè protulerint testimonium, nullum postea censebitur dependens superesse, super quo denuò testes poterint produci, Panor. in c. fraternitatis, extr. de test.

Et licet suprà dicta iure Canonico obseruentur, contrarium tamen iure ciuili communi Doctorum opinione obtinere, testatur glos. in d. Cle. 2. eod. Quòd, scilicet, in causa appellationis noui testes super antiquis vel directò contrarijs articulis admittantur. Quam etiam opinionem Bald. & alij Dd. in l. per hanc, C. de temporibus appellat. firmis rationibus comprobant, eamq; in Camera Imperiali obseruatam testatur Myns. obseruat. 41. cent. 1. licet superiorem in iure Canonico fundatam opinionem veriozem putet,
per

per ea, quæ tradit Gui. pap. decis. 14. & 347. & consilio 37. vers. & idè salua, in 1. par. Maran. in Spec. iud. par. 6. in 6. actu, num. 22. ver. super tertia questione princip. Et latiss. Rol. à Val. conf. 45. num. 8. 14. & 20.

Quæ Forma reprobandi Testes?

Ante testium publicationem, & etiam post, tã dicta, quàm personæ testium, possunt per alios testes legitimos reprobari, dummodò id ante sententiam fiat, & ante publicationem de exceptionibus contra dicta & personas testium obijcendis vel reprobatione facienda protestatio facta fuerit, c. presentium, eod. in 6. c. licet, de probat. & c. 1. extr. de excep. Spec. in §. sæpè testes, tit. de test. Reprobare igitur intendens, dicat, ab aduersario productos testes, esse seruos, infames, criminosos, famosos, falsos, corruptos, vel alio modo illegitimos: quod varijs modis contingere potest, vt notat Specu. in §. 1. tit. de teste. Quæ probanda sunt per instrumenta, vel alios testes, qui reprobatorij dicuntur, d. c. presentium, extr. eod. c. licet, extr. de fimo.

Et potest Reus, contra quem testes producuntur, intra terminum ad reprobandum datum, primò eos per alios reprobare. Item Actor Rei reprobatorios poterit per testes alios reprobare, facta simili specificatione & declaratione criminum contra eos. Vltrà enim neq; Reus neq; Actor audiètur. Quia testes probatorios, & reprobatorios probatoriorum reprobare licet, sed reprobatorios reprobatoriorum non licet, c. licet, dilectus, extr. eod.

Quis

Quis Finis & Effectus?

Vt veritas eruatur, & fides de causa principali iudici fiat. Fidem autē faciunt testes, si in testimonio prohibendo consentiant & concordent. Quod si contrarij sint, vel diuersi, iudex eos, quoad fieri possit, coniungat. Quoniam etiam testis, licet singularis, per se nihil probet, cum vni testi fides non sit habenda etiam si præclaræ curiæ præfulgeat honore, l. iurisiurandi, C. eod. tamen cum alio coniunctus plenam probationem facit. Coniungi autem plures imperfectæ probationes ad plenam fidem faciendam possunt, non in criminalibus, si ad pœnam corporalē, vel effectum puniendi agatur, sed in ciuilibus, si omnes probationes tendant ad eundem finem: siue sint eiusdem generis, vt sunt diuersi testes: vel diuersi generis, vt vnus testis cum fama, Felin. in c. cum causa, extr. de probat. & Myns. obseruat. 100. cent. 2. & obseruat. 33. cent. 5.

Quod si, ob nimiam discrepantiam, coniungi testes non possint, sed quiuis singulare quid quod cum alterius dicto non conuenit, deposuerit, omnes, etiam si mille sint, vnico testi, qui fidem nullam per se facit comparantur, c. cum dilectus, extr. de elect. & c. licet, extr. eodem. Si verò numero impari plures, pari tamen authoritate præditi, diuersas produxerint sententias, vel ipsum factum, super quo adhibiti, pariter non narrarint, iudex circumspectus & discretus motum animi sui, ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora esse,

vel naturę negotij magis conuenire, compererit
 confirmabit. Nec tam ad multitudinem testi-
 um, quàm ad sinceram testimoniorum fidem, &
 testimonia, quibus potiùs lux veritatis asisfit
 respiciet, c. præterea, extr. eod. c. in præsentia, ex-
 tr. de renunc. l. ob carmen, ff. eod. Si testium, in
 autoritate, nulla est paritas, sequetur iudex te-
 stes, qui dignitate, fide, constantia, moribus, gra-
 uitate, nobilitate, alijs antecedunt. Potiùs igitur
 credet ingenuo, quàm libertino: seniori, quàm
 iuueni: honorato, quàm inferiori: nobili, quàm
 ignobili: masculino, quàm fœminæ: Decurioni,
 quàm plebeio: honesto quàm infami. magis lo-
 cupletto, quàm egeno: magis alij, quàm amico vel
 inimico: veridico, quàm mendaci: moribus ho-
 nestis prædito, quàm prodigo, vel luxurioso, de
 l. testium, ff. eod. 4. q. 3. d. c. si testes, §. testium, in
 nostra, extr. de fide inst. c. forus, ex de verborum
 sig. c. Ecclesia, extr. de elect. 2. q. 1. c. in primis, 3. q.
 5. per totum. Si verò testes Actoris & Rei autho-
 ritate & conditione sunt pares, potius pro Reo
 sententia ferenda est; cùm promptiores esse de-
 beamus ad absoluendum, quàm condemnan-
 dum, c. ex literis, extr. de probat: Nisi Actor fa-
 uorabilior sit Reo. Favorabilior autem est, si cõ-
 sistat pro libertate, dote, testamento, legitimati-
 one, pupillo, vidua, orphano, fisco, Ecclesia, vel
 alijs, pro alia re, seu persona fauorabili, l. inter
 pares, ff. de re iud. c. fin. extr. de re iud. Atqui hoc
 ipsum fauor, in dubio & in paritate operatur, vt
 potiùs pro Actore sit pronuntiandum: Non au-
 tem, vbi ex aduerso plenitè probatur, c. nouit,
 extr. de iud. c. necesse, 3. q. 9. c. quatuor, 11. quaest. 3.
 Verùm

Verùm Mynfingerus, obseruat. 38. cent. 4. ad di-
 judicanda testium pugnancia testimonia tres gra-
 dus obseruandos asserit, scilicet: authoritatem
 personarum, qualitatem testimoniorum, & nu-
 merum testium. Primùm: personarum autho-
 ritatem & honestatem respiciendam ait: quæ in
 dignitate, moribus, & grauitate consistit, per l. 2.
 & 3. ff. de testibus. Secundò: si qualitas persona-
 rum par sit inter testes, respicienda esse testimo-
 nia, considerandumq; qualia sint: hoc est, quàm
 verisimilia, quàm naturæ negotij, de quo agitur,
 conuenientia, l. ob carmen, ff. de testibus. Ponde-
 randa etiam argumenta dictorum testium: hoc
 est, rationes, quibus dicta testium firmantur,
 Bald. in l. testium, C. eod. Tertiò: vt si testes, &
 personarum & testimoniorum fide sint pares,
 tum demum ad numerum testium recurren-
 dum, per tex. in nostra, vers. mandamus, extr. de
 test. & l. 3. §. eiusdem quoq; ff. eod.

Quæ Cognata?

Instrumenta, præsumptiones, fama, aliaque
 probationum species, de quibus suprà, conscien-
 tia. vnde dicitur: conscientia mille testes, confes-
 sio propria, iuramentum, &c.

Quæ Adiacentia?

Iuramentum, præstatio sumptuum, compa-
 ritio, & similia, l. iurisiurandi, & l. quoniam, C.
 eodem.

Bb

Quæ

Quæ Pugnantiæ?

Omnia ea, quibus testes ante, vel post attestationem publicationem, reprobantur, vel, quæ eorum dictis & personæ obijci possunt: ut qui sit seruus, libertus contra patronum, socius criminis, monachus, canonicus regularis, conuersus, vel alius religiosus, sub obediētia cōstitutus, mulier, impubes, mutus, surdus, furiosus, prodigus, ex interdicto, inimicus, conspirator, coniurator, parens, filius, fur, raptor, adulter manifestus, familiaris domesticus, excommunicatus, precio corruptus, confors litis, iudex, advocatus, procurator, assessor, executor, actor, vel arbitrius in eadem causa, verbosus, inconstans, nullam causam dicti sciens, pauper, Iudæus, infidelis, graciosus, adulator, arenarius, vilis persona, subornatus, non cognoscens personas litigantium, rei inscius, ignarus, accusatus criminaliter, quod timore, odio, vel commodo, deposuerit, quod sit cohabitator inimicus, homicida, concubiniarius manifestus, incestuosus, hermaphroditus, laicus in causa criminali contra clericum, clericus in causa contra laicum, publicè pœnitens, vtrò se ingerens, non rogatus, publicis vinculis vel custodia detentus, seruus pœnæ, publico iudicio de calumnia damnatus, quod speret commodum, vel incommodum ex illa causa, mendax, consanguineus, affinis, falsus, redemptus, socius non iuratus, quod eius dicta sint obscura, ambigua per sensum aliquem, non declarata, negatiua, vacillantiæ, non congruentia, varia,

ria, præmeditata, composita, ad articulos & interrogatoria impertinentia & alia.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Testimoniorum vsus frequens & necessarius est, & ab his præcipue exigendus, quorum fides non vacillat, l. i. ff. eodem.

In testimonijs dignitas, fides, mores, grauitas, examinanda est: & ideo testes, qui aduersus fidem suam testationis vacillant, audiendi non sunt, l. in testimonijs, ff. eod.

Circumspectus iudex atq; discretus motum animi sui ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora esse comperit, confirmare debet, c. præterea, eod.

Vltra tertiam productionem non debent testes vltcrius produci in causa, nisi præstato ab eo, qui hoc postulat, iuramento, quod neq; per se, neq; per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus, nec per dolum aut artem aliquam, quam productionem exposcat: sed, quia, quos desiderat de nouo producere, prius habere nequiuit, c. vltra, & c. significa. extr. eod.

Ob depositionis obscuritatem iterum examinari potest testis, ex iudicis officio, c. cum clamor, eod.

Testi non iurato non creditur, extr. eod.

Attestationes receptæ per arbitrum fidem faciunt in iudicio, c. presentata, eod.

Testes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licet, sed reprobatorios reprobatoriorum non licet, c. licet dilectus, eod.

Personis grauibus fides est adhibenda, d. c. licet.

Post publicationem attestatorum ad petitionem producentis repeti testes non debent, nisi quando dolo, vel negligentia examinatorum super omnibus capitulis examinati non fuerint, c. per tuas, eod.

Testificatis non didicitis, vel etiam testium producendorum renunciatione nondum facta, etiam super eisdem articulis testes aliàs producti, produci & repeti, non possunt, c. constitutus, eod.

Si materia antiqui capituli repetitur aliquo addito, quod subijcitur necessitati probandi, possunt testes etiam antiqui publicatis attestatoribus produci; cum causa, extr. eod.

Attestationes recepte in summario fidem non faciunt in ordinario iudicio, c. veniens, eod.

Quae argumenta ad quem modum probanda cuius rei sufficiant, nullo certo modo satis definiti potest, sicut non semper ita, saepe sine publicis monumentis cuius rei veritas deprehenditur; aliàs numerus testium aliàs dignitas, aliàs authoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat, rei, de qua quaritur, fidem, l. testium, ff. eod.

Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant, l. idonei, ff. eod.

Testis idoneus pater filio, vel filius patri, non est, l. testes, eod.

Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, l. nullus, eod.

Ad fidem rei gesta etiam non rogatus testis intelligitur, l. ad fidem, eod.

Vbi numerus testium non adijcitur, etiam duo sufficiunt.

unt: pluralis enim elocutio duorum numero contenta est, l. vbi numerus, ff. eod.

Si testes omnes eiusdem honestatis & existimationis sunt, & negotij qualitas & iudicis motus cum his concurrat, sequenda sunt omnino testimonia, c. ob carmen, ff. eod.

Non ad multitudinem testium, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis adsistit, respicere iudex debet, d. l. ob carmen, eod.

Produci testis non potest, qui ante in eum Reum testimonium dixit, l. produci eod.

Quarta productio testium absq; solennitate legali concedi non debet, c. significauerunt, extr. eod.

Publicatis attestationibus, admittitur aduersarius ad probandum contrarium, si ante publicationem super hac probatione contraria instrui non potuit, c. ex tenore, eod.

Si Actoris & Rei testes contraria deponunt, fidem sibi non derogant, sed proualent digniores & verisimiliora deponentes, & si in ceteris est disparitas, praefertur numerus, c. in nostra, eod.

Post publicationem attestationum, contra personas testium excipi non potest, nisi iuramento iurauerit, quod ad hoc ex malitia non procedat, vel ante publicationem fuerit protestatus, vel ostendere poterit, quod post publicationem didicerit quod in personas obijcit, c. praesentium, extr. eod.

Domesticum testimonium omni iure reprobatur, c. in literis, l. domesticum, & l. testes, extr. C. & ff. eod.

Publicatio vel renunciatio testium in certis capitulis non prauidicat volenti testes producere in alijs, c. causam, extr. eod.

In causa appellationis super nouis articulis non tantum noui, sed etiam veteres testes producuntur, c. fraternitatis, extr. eod.

Attestationes in vno iudicio receptae fidem faciunt in eadem causa, & inter easdem personas coram alio iudice, C. causam, extr. eod.

Clerici non sunt a ferendo testimonio in causa Ecclesie sue, siue rationabili causa, repellendi, c. cum numerus, extr. eodem.

Episcopus ad dicendum testimonium citari non debet iure ciuili, id est, ut persona honoretur, & ne dignitas sacerdotij exempta confundatur, l. nec honore, C. de Episc. & cler. cum auth. sed iudex.

Consensu litigantium quibusuis testibus iusiurandum remitti potest, c. tuis questionibus, extr. de testibus, & glossa.

Iurabit testes, se nulla admixta falsitate aut mendacio, nec precio, nec amore, nec odio, nec timore, nec pro quoquam commodo testimonium dicturum, glossa in c. fraternitatis, extr. eod.

De singulis circumstantijs testes per iudicem prudenter sunt inquirendi, videlicet de causis, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine, c. cum causam, extr. de testi.

Oportet iudicem cuncta rimari & ordinem rerum plena inquisitione discutere, 30. q. 5. secundum glossam in ver. ex tempore.

Si quis semel aut bis testes produxerit & testificata didicerit nulla postmodum productione utetur, etiamsi diuina iussio hoc praeceperit, c. penul. ext. de testib.

Atte-

Attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem, seu directò contrarijs articulis alios, vel eosdem testes in principali causa producere, sic nec in appellationis causa licet, cum vtròq; eadem subornationis causa sit timenda. Clem. 2. de testibus.

Vnius testis dictum non audietur, etiamsi præclara curia honore præfulgeat, l. iurisiurandi, C. eod.

Testes adhibendi sunt, qui præponant veritatem gratia & potentia, l. eos testes, C. eod.

Omnibus in re propria dicendi testimonij facultatem iura submouerunt, l. omnibus, C. eod.

Testis ratione testimonij subiicitur iurisdictioni eius iudicis, apud quem testimonium perhibet, tametsi alioqui præscriptione fori sit tutus, l. nullum, C. eod.

In probatione facienda testibus æquè creditur vt instrumentis, l. in exercendis, C. de fide instr.

Testimoniorum vsus ad eruendam veritatem inductus est, & idè testes adhibentur, vt veritati testimoniorum perhibeant pro vtròq; parte & probatio rerum gestarum salua sit testibus adhibitis, l. curent, eod.

Testes contrarij sibi inuicem fidem derogant, c. in nostra, extr. eod.

Vnicus testis ad cumulandam probationem vel iuramenti dilationem, in supplementum probationis impetrandam proficit, c. fin. extr. de iureiur.

392 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
DE TESTIBVS COGEN.
dis, vel non.

Titulus XXI.

CV M publicè interfit, reuelata veritate, vni-
cuiq; ius suum conseruari, testes à litigato-
ribus nominati, etiam inuiti, quandoq; e-
uocantur, & ad dicendum testimonium pœnali-
bus mandatis per iudicem ordinarium, vel eius
commissarium compelli possunt: maximè, si nul-
lo excusationis priuilegio sint muniti, & se gra-
tia, timore, vel odio, ferendo testimonio subtra-
hant, c. dilectorum, & c. i. ext. eod. An autem, in
defectum aliorum testium, illi, qui excusatione
legibus merentur, inuiti ad testimonium dico-
dum compellantur: Vt sunt valerudinarius, se-
nex, miles, publicanus, qui abest ex probabili &
necessaria causa, & qui lege Iulia iudiciorum pu-
blicorum continentur, putà, gener, vitricus, so-
brinus, libertus, contra priuignum, sobrinum,
vel sobrinam, & liberos eorum, patronum, ali-
quæ qui ratiõe suâ vel causæ priuilegiati sunt: Et
licet sint, qui eos inuitos, excepta causa matrimo-
nij & hæreseos, nō cogi putent, quasi hoc priuile-
gium eis à lege indultum, nusquam inueniatur
ademptum secundum l. sancimus, C. de test. Ta-
men consentanius est, si res aliter probari non
possit, præmissa monitione, etiam per Ecclesia-
sticam censuram, in causa ciuili, vel criminis ci-
uilitè intétati eos compelli posse, c. cum super,
extr. eod. c. peruenit ad nos, extr. eod.

Et

Et est ratio. Quia iudex, ad eliciendam veritatem, omnem lapidem (vt dicitur) mouere debet. Accedit, quod veritatem occultans mortale peccatum committat. Non debet igitur prætextu alicuius priuilegij supprimi, cuius reuelata veritas, litigatorẽ, qui aliàs ius suũ deducere & probare non potest, in iudicio subleuaret, c. peruenit ad nos, extr. eod. 11. q. 3. c. quisquis, extr. de crimine falsi, c. 1. Panor. c. 1. extr. eod.

A X I O M A T A.

Compelluntur testes, etiam in criminali, quos accusatus malitiosè accusatori subtraxit, c. peruenit ad audientiam, extr. eod.

Tam in causa ciuili, quàm criminali monendi & inducendi sunt testes ad testificandum, & si se odio, gratia, vel amore, subtraxerint; nec aliter veritas haberi possit, etiam per suspensionis, excommunicationis, & depositionis sententiam sunt compellendi, c. 1. c. 2. c. cum contra, & c. delictorum, extr. eod. c. peruenit ad nos, extr. eod.

Deficiente probatione multi admittuntur & coguntur, qui aliàs non cogentur, c. quoties, & c. tam literis, extr. de testib.

Qui veritatem occultat, mortale peccatum committit, c. quisquis, 11. q. 3.

Clerici ad dicendum testimonium, ne à diuinis auocentur, cogi non debent, possunt tamen in defectum probationum, & in rebus Ecclesiæ cogi, c. statuendum, 2. q. 6. c. cum nunciis, extr. de testib.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

Titulus XXII.

Continuatio.

Instrumenti editio, modus est faciendæ fidei, & species instruendæ probationis, nō tantum in actionibus, verumetiam exceptionibus, & replicationibus, quocumq; tempore ante conclusionem causæ fiat.

Vnde dicitur Instrumentum?

Instrumentum dictum est, ab instruendo, qui instruit causam: sicuti documentum à docendo, quia docet, seu munimentum, à muniendo, quia munit producentem contra aduersarium, c. fin. extr. de dol. & contu. & c. si quis de clericis, 1. q. 2. Et accipitur generaliter & propriè. Generaliter quidem instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui solet, & idè tam testimonia, quàm personæ, quæ testificantur, instrumentorum loco habentur, c. peruenit, ad audientiam, extr. de test. cog. l. 1. ff. de fide instru. Propriè autem instrumentum dicitur scriptura ad memoriam alicuius rei confecta, Spec. tit. de instr. editione, §. 1.

Quotuplex Instrumentum?

Duplex, publicum & priuatum.

Quid

Quid est Publicum?

Publicum est solennis & ritè ordinata scriptura, per authenticæ personæ manum, publicè, causa memoriæ, facta, Specu. §. 1. eod. Vel dicitur scriptura publicam auctoritatem obtinens. Et huius varia sunt genera. Primò enim publicum dicitur, quod per manum publicam scriptum est, per publicam manum notarius intelligitur, qui etiam publicus seruus dicitur, c. quanquam, extr. de vsuris, c. illud, extr. de præsump. 2. Quod sigillo authentico est roboratum, c. scripta, extr. eod. etiam si fit à priuato scriptum, putà, sigillo Principis, Vniuersitatis, aut alicuius collegij. 3. Omnes scripturæ, qualescunq; etiam priuatæ, quarum publicatio magistratûs auctoritate interueniente contingit: vt cùm testamenta, vel codicilli, vel aliæ tabulæ authore iudice aperiuntur, c. 2. extr. de fide instr. l. publicari, C. de testib. 4. Quod in iudicio apud acta publica scribitur, c. quoniam, extr. de probat. 5. Dicitur publicum, quod habet subscriptionem trium, vel, iuxta canones, duorum viuentium testium, etiam si fit per priuatam manum scriptum, c. 2. extr. de fide instrumen. c. 1. extr. de test. & c. quoniam contra, extr. de probat. Sed mors testium vigorem istiusmodi instrumenti perimit, c. 2. extr. eodem. 6. Publicum dicitur, quod de archiuo publicè producitur, liber scilicet rationum vel alterius rei, cui fides adhibetur, si publicum testimonium iudicis, hoc ex archiuo publico esse, asseuerantis accedat, c. ad

396 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
c. ad audientiam, extr. de præscrip. c. peruenit,
30. quæst. 1.

Quid est Priuatum?

Priuatum est, omne aliud instrumentum, quo-
quocunq; sit scriptum, quod aliquo prædictori
modorum non est corroboratum. quorum tres
species ponit Spec. tit. de instr. editione, §. nunc
dicendum restat.

Quæ causa Efficiens?

Est lex, & consensus partium: hinc est, quod
instrumenta sint necessitatis, quæ lege fieri præ-
cipiuntur, c. 1. ext. de censibus; & voluntatis, quæ
voluntate & consensu partiū, nulla impellente
necessitate, conficiuntur, l. contractus, C. de fide
instrum.

Quæ causa Procatartica?

Est partium petitio, vel rogatio, persona au-
tem ista, quæ instrumento conscribendo adhibe-
tur, in illis actibus, qui vtriusque partium con-
sensu perficiuntur; vt sunt venditiones, permu-
tationes, transactiones, pignorationes, locatio-
nes, conductiones, &c. ab vtraque parte rogari
debet. Si verò actus vnus tantum partis desi-
deret consensum, vnus tantum rogatio suffi-
cit: vt sunt testamenta, codicilli, appellationes,
protestationes, l. contractus, C. eod. Bal. in l. 2. C.
de edendo.

Quæ est causa Instrumentalis?

Est notarius, vel alia publica persona. Solet e-
nim magistratus de archiuo publico scripturam
quandoq; transfumere & conficere, Bald. in rub.
C. eod.

C. eod. Solet etiam publicis scripturis conficiendis præfici persona publica, quæ, sicut iudex, habet ordinariam iudicandi potestatem; ita publicam potestatem scribendi obtinet, ita ut illi fides plena adhibeatur, Bal. d. loco, nec tamen hoc ipso notarius efficitur: is enim vel à Principe, vel Comite Palatino, cui hanc potestatem creandi notarios Princeps concessit, creatur. Et est actus summi imperij, quod genus magistratus municipales exercere absq; singulari Principis indultu non possunt. Ergo persona à iudice municipalis constituta ad hoc, ut in archiuum publicum relata, vel aliàs apud acta notata, transfumat, publicamq; scripturam conficiat, propriè notarium agere non dicitur. Quòd si autem magistratus, vel quiuis alius, putà, Comes vel Baro, &c. creandi notarios ex consuetudine actus vsurpet, eius instrumento tantùm intra territorium magistratui, à quo creatus est, subiectum, creditur: non autem extra. Licet notarius auctoritate Patris vel Imperatoris creatus, ubiq; locorum exercitium officij sui habeat, & instrumentum vbiuis locorum valiturum conficere possit, Bald. in addit. ad Spec. de instr. editione.

Quod Obiectum?

Omnes actus iudiciales, voluntarij inter viuos, & vltimæ voluntatis. Actus iudicialis sunt, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones. Statuit enim Innocen-

cen-

cétius III. in Cōcilio generali, vt iudex tā in ordinario, q̄ extraordinario iudicio adhibeat publicā personā, vel duos viros idoneos, q̄ vniuersa iudicij acta, loca, tēpora & personas designando conscribant, atque super aliquibus propriis instrumenta, quę hoc titulo explicantur, his actibus, confici possunt, c. quoniam, extr. de probat.

Voluntarij actus inter viuos sunt, venditiones, emptiones, locationes, cōductiones, permutationes, mutuum, pignorationes, emphyteusis, feudum, constitutio seruitutis tam realis quam personalis, vt vsusfructus, vsus, habitatio, transactiones, archarum datiōes, donationes, diuisiones, solutiones, acceptilatiōes, emancipationes, possessionum traditiones, manumissiones, & omnes alij actus, qui inter viuos celebrantur, & desuper instrumenta ad faciendam in omnia perpetuitatem fidem conficiuntur, l. contractus, c. eod.

Vltimæ voluntates, vt testamentum, codicillus, donatio, causa mortis, & cætera q̄ his equiparatur, tot. tit. C. de test. ordinan. l. cum de mortis, C. de donat. causa mortis. Et denique de omnibus, nisi vel lex, vel statutum obstat, instrumenta fidei faciendæ, & causæ instruendæ, vel facilioris probationis gratia, confici possunt, Bal. in rubri. nu. 17. C. eod.

*Quæ est Forma conficiendi publici
Instrumenti?*

Instrumentum, secundum Spec. duo continere debet, factum, & ipsam publicationem. Quod ad

ad factum attinet, tenentur partēs notario ad hoc rogato, qui, ratione officij sui, obstrictus est quasi condigno precio conductus in eo partibus præstita opera annuere, in scriptis & præsentia duorum vel trium testium facti speciem explicare, qua intellecta debitis solennibus obseruatis, in quibus ipsa publicatio consistit, desuper instrumentum conficiat notarius, Bald. in rub. C. de fide instrument. §. nos autem, in authent. de tabell. & Dd. in auth. si quis in aliquo, vbi gloss. C. de eden.

Sunt autem nouem regulariter, quæ publicationem faciunt, vt in auth. vt nomē Imp. præpo. §. 1. col. 5. scilicet, inuocatio nominis Domini, anni eiusdem, indictio, dies, contractus, nomen imperatoris, vel Pape, vel regis, locus, testes, nomen tabellionis vel notarij, & signum notarij. Non autem subscriptio vel subsignatio contrahentium vel testium. Ea enim, ad muniendam publici instrumenti fidem, non requiritur: cum notarij, vt publicæ personæ subscriptio & signatio sufficiat. In instrumentis verò publicis, apud acta, vel à iudice confectis, nulla solennitas desideratur, cum eam iudicis præsentia, & iudicij auctoritas satis superque suppleat, l. omnium, C. de testib. & ibi Dd. Quod secus est in priuatis, quorū validitas & robur ex subscriptione & sigillis partium & testium dependet. Panorm. & Inno. in c. 1. extr. de his quæ fiunt à præla. sine con. Cap. Notandum etiam, quòd, propter vetustatem, vel aliam iustam causam de instrumentis originalibus exempla solenniter sumi possunt

possunt. Solenniter autem sumi dicuntur, cum coram ordinario iudice, vel ad hoc ab ipso specialiter delegato, ab eo, cuius interest, presententur: qui si ea diligenter inspecta in nulla sua parte vitiata compererit, per publicam personam illa præcipiat exemplari, eandem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura, c. fin. extr. de fide instrumentorum.

Quæ Forma exhibendi Instrumenta?

In exhibitione instrumentorum hoc observatur, ut ante, & post publicationem testium, quædocumque voluerit altera partium, aduersario ad hoc citato, possint exhiberi, usque ad conclusionem causæ, c. cum dilectus, extr. de test. Verum, postquam conclusum est, id est, renunciatum productioni instrumentorum, & alijs probationibus, induci non possunt: nisi nova orientur capitula ex veteribus pendentia; in quibus possunt de nouo instrumenta exhiberi, etiam in causa appellationis, sicut & testes noui recipi, c. fraternitatis, extr. de test. Vel, nisi talis esset persona, cui beneficium restitutionis in integrum indulgetur, potest tamen iudex terminum peremptorium ad exhibendum omnia instrumenta præstitueret, ultra quam pars, nisi legitima ex causa, ultra tius non auditur, l. 1. ff. de edend. & Spec. per tex. in d. c. cum dilectus, tit. de instr. editione. An autem litigatoribus instrumenta sint edenda? Distinguitur. Aut instrumenta sunt communia, aut propria: si communia, utriusque parti, sunt edenda, c. G.

c. G. perpetuus Vicarius, extr. eod. Si propria, aut
 ijs partes vtuntur, aut non vtuntur: si vtuntur, &
 Actor vel Reus aliquod instrumentum in iudi-
 cio producat, quo aduersus aduersarium vti ve-
 lit illud aduersario edere cogitur, l. 1. ff. de edé. Nā
 & Actor Reo & Reus Actori omnia, quibus in li-
 te vsurus est, edere tenetur, secundum gloss. in
 d. c. G. perpetuus vicarius, extr. eod. si autem
 partes non vtuntur & Actor à Reo edi instru-
 menta, ad intentionem suam probandam peti-
 erit repellitur, quia non ab aduersario, tela pe-
 tere debet, sed à seipso accipere, sciturus, nō pro-
 bata sua intentione, Reum absolutum iri, c. 1. ex-
 tr. de probat. l. qui accusare, C. de edendo. Pari ra-
 tione nec Reus ab Actore petere potest instrumē-
 tū, ad exceptionē suā fundandam, vel reconuen-
 tionem instituendam: nisi petitum instrumen-
 tum, quasi suum sit, l. non est nouum, & l. fin. C.
 de edend. nec tertius quidam, penes quem instru-
 menta litigantibus ad instruendam causam vti-
 lia esse dicuntur, exhibere tenetur, nisi ratione a-
 licuius negotij partibus teneatur, putà tutelæ,
 negotiorum gestionis, & similia, Specul. tit. de
 instru. editio. §. videndum, num. 18.

Quis Effectus & Finis?

Si publicum est instrumentum, plena fides rei
 geste, super qua illud confectum est: solū enim
 publico instrumento & eius exemplo solenniter
 sumpto creditur: non autem priuato. Instrumen-
 ta enim domestica, seu priuata testatio, seu adno-
 tatio, si non alijs quoq; adminiculis adiuuentur,
 ad probationem sola non sufficiunt, l. 1. instru-

Cc menē

menta, C. de probat. Nisi contra scribentem producantur, vel subscriptione testium, & contrahentium, vel iudiciaria cognitione sint confirmata Bal. in rub. nu. 3. eod. l. contractus, C. eod. Quod si ex scriptura priuata conuentus, illam neget à se scriptam, vel ad testes, vel ad literarum comparationes, erit confugiendum. Debent autem comparationes literarum non ex quibusuis scripturis, chyrographis, vel instrumentis, quæ non publicè sunt confecta, fieri, sed ex forésibus, vel publicis instrumētis, vel huiusmodi chyrographis, quæ ad minimum trium testium habent subscriptiones, præstito iuramento ab his, qui comparationem faciunt, quod neq; lucri causa, neq; inimicitijs, vel gratia impulsu, ad comparationem faciendam procedant, vt omnis falsitatis suspicio euitetur, l. comparationes, C. de fide instr. Debetq; instrumentum, vt fidem faciat rei q; gestæ probationi, sufficiat, nō esse cancellatum, abolitum, continere lituras, vel quacunq; suæ formæ parte vitiatum, neq; huic contrarium aliud produci. Scripturæ enim diuersæ fidem sibi derogantes, ab vna eademq; parte probatæ nihil firmitatis habent, l. scripturæ, C. eod. & imputet sibi proferens tales, cum in ipsius fuerit potestate quam voluerat non proferre: nihil igitur probabit, & imputari, extr. eod. cum contraria allegans non sit audiendus.

Quanta autem fides instrumentis in causis decidendis adhibeatur? Respondet Speculator, tit. de inst. edit. num. 8. quanta duobus vel tribus testibus. parem enim vim habent in exercendis litibus instrumenta & testes, l. in exercendis, C. eod.

eod. c. cū Iohannes, §. porro, ext. eod. Quod verum est, quo ad iustam probationem, ad quam faciendam, alterutrum sufficit, aut idonei testes, aut non suspectum instrumentum, scilicet, vbi sine contradictione proferatur. Nam etiam contra instrumentum quantumcunq; publicū testes admittuntur, prout expressè habetur in c. cū Iohannes, extr. eod. & c. ad audientiam, ext. de prescrip. Quid igitur iuris, si testes instrumēto repugnant, an testibus, vel instrumento, credendū sit? Myns. in obser. 39. cent. 4. ita putat distinguendū: Si testes cōtradixerint scripturę, ad quam ipsi fuerunt, propter fidem, adhibiti, tunc testes scripturę præferri debent. cū tota autoritas tabularum ex testium comprobatione depēdeat, c. tertio loco, extr. de probat. Secundò: si testes cōtradican instrumēto, ad cuius fidem confirmandā non fuerunt producti; tunc refert, an producantur ad probandam falsitatē instrumenti, q; nō simul cū attestationibus, sed seorsim proferatur ad probandū aliquid. hoc casu parib. testibus pualet scriptura: putā, si tres dicant, instrumentū falsum, nō audientur, quia & in tabulis instrumentorū duo testes vnā cū notario, q; tertio, adhiberi solēt. Ni igitur quatuor aut qnq; boni viri attestentur falsitatē, instrumēto stabitur, d. c. cū Iohannes.

An verò de falsitate non principaliter tractetur, neq; accusando, neq; excipiendo, sed vnā ad probandam intentionem exhibeantur instrumentum & testes, qui examinati, repugnent instrumento? Hac specie nulla regula tradi potest, sed iudex ex qualitate causæ æstimare debet, quid horum magis ipsum sequi oporteat.

Nam quædam per testes meliùs probantur, vt confanguinitas, adulterium: quædam verò com-
moditùs per instrumèta, veluti acta iudiciorum,
res antiquitùs gestæ.

Quæ Cognata?

Monumenta publica, libri ciuitatum, mona-
steriorum, collegiorum, testes, præsumptio iu-
ris, aliæ probationum species.

Quæ Pugnantiæ?

Sunt omnia ea, quibus instrumentum impu-
gnari potest: vel, quæ ratione causarum, vel for-
mæ, obijciuntur contra instrumentum. vt, si de
re illicita & impermissa instrumentum factum
fuerit, vel ab eo, qui non habet potestatem faci-
endi: vt, qui se notarium agit, cum tamen nõ sit,
vel malè creatus, videlicet, ab eo, qui ius creandi
non habet, si fuerit cancellatum, abolitum, ha-
beat lituras, sint sigilla abrafa, vel sculpturæ si-
gilli deletæ, si falsum, si non omnes contineat so-
lennitates, quæ publicationem efficiunt; vt quia
omissa indictio, testes, nomen notarij, eiusdem
subscriptio, & signum, & circumstantiæ requisi-
tæ: si producantur plura instrumenta fidem sibi
derogantia, vel sit illud quod producitur sibi ip-
si contrarium, si non debito tempore produca-
tur, vel publicetur, & alia multa, quæ omnia hic
recensere, longum esset.

A X I O M A T A.

*Scripturæ contrariæ ab eodem productæ fidem non
faci-*

faciunt, c. imputari, extr. eod. l. scriptura, c. eod.

Viriq; parti communia instrumenta sunt edenda, c.
G perpetuus vicarius, extr. eod.

Instrumentum exemplatum per tabellionem auctoritate Ordinarij, eandem vim habet cum originali, c. fin. extr. eod.

Post publicatas attestaciones, vsque ad conclusionem in causa, possunt instrumenta produci, c. cum dilectus, extr. eod.

Instrumentum, propter rasuram in loco non suspecto, non dicitur vitiosum, c. ex literis, extr. eod.

In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium, l. in exercendis, C. eod.

Testium vel instrumentorum receptio, potest ex causa committi iudici alterius territorij, l. iudices, C. eod.

Instrumenta domestica, seu priuata testatio, seu adnotatio, si non alijs quoq; adminiculis adiuuentur ad probationem sola non sufficiunt, l. instrumenta, C. de probat.

Rationes defuncti, quæ in bonis eius inueniuntur, ad probationem sibi debite quantitatis, sola non sufficiunt, l. rationes, C. de probat.

Instrumenta cuiuscunq; generis non definiunt negotium, nec obtinent vim definitiæ sententiæ, nec habent executionem paratam, sed tantum probant rem gestam, Bal. Conf. 133. vol. 1.

Titulus XXIII.

Continuatio.

Praesumptio, quasi legis opinio, nisi contrarium probetur, vel etiam quandoq; contraria probatione non admitta, probationem facit, & iudicem in formanda sententia instruit, c. literas, extr. de eo quod metus causa, & tot. tit. de praesump.

Quid est Praesumptio?

Alciatus in Tractatu, De praesump. ita definit. Ut sit probabilis coniectura, ex certo signo proveniens, quae, alio non adducto, pro veritate habetur.

Quotuplex Praesumptio?

Quidam triplicem statuunt, scilicet, praesumptionem iuris & de iure, praesumptionem iuris, & praesumptionem facti. Sed Specul. & Bal. in addit. tit. de praesump. quadruplicem ponunt, temerariam, probabilem, violentam, & necessariam. Quae diuisio Canonibus magis videtur convenire, c. adferte, c. literis, & c. literas, extr. eod.

Quid est Temeraria?

Praesumptio temeraria est, vana quaedam hominis opinio, ex causis vilibus & leuibus proficiscens: vt, quia videt quis adolescentem salutare aliquam, statim praesumit, ipsos in rebus illicitis conuersari, cum tamen dubia in meliorem partem

tem

tem sint interpretanda. Nec petulanti procacitatis lingua, in præiudicium alicuius bonæ famę finistrè diuulganda. Vnde, si presbyter amplectur mulierem, præsumitur facere id causa benedicendi, vel ad pœnitentiam exhortandi, c. absit, 11. q. 3. c. in scripturis, dist. 96. Sed ab illa benedictione libera nos Domine, inquit August. Imò, ob fidem à clericis malè seruata, hanc præsumptionem exoleuisse, nō inconuenienter dici potest.

Quid est Probabilis?

Est verisimilis coniectura, ex certo signo proueniens, quæ, alio non adducto, pro veritate habetur, Alc. in Tract. de præsump. Quæ aliquando iuuatur legibus, & tunc vim probationis habet, nisi contrarium probetur. Et dicitur probabilis: quia plurium hominū opinione, ex multis causis & suspicionibus fama super his increcente collecta inducitur. probabile enim, secundum Aristotelem est, quod omnibus aut pluribus, aut saltem sapientibus videtur, Bal. in addit. ad. Spe. tit. de præsump.

Quid est Violenta?

Violenta est, verisimilis probatio ex multis indicijs, vel ex vno multum efficaci & veritati proximo collecta. vt, si quis fugiat cum gladio sanguinolento, præsumitur vulnerasse, si aliud non appareat. Item si quis inuentus sit nudus cum nuda, solus cum sola, in eodem lecto iacentes, secretis locis & latebris, præsumitur, quod sint fornicati, c. literis, ext. eod. Item præsumitur, quod quis cognouerit mulierem, cum qua diu cohabitauerit, c. nec aliqua, 17. quæstio. 1. Item,

si quis ter denunciaret alicui, ne cum vxore sua lo-
 quatur, & hoc non attento, postmodum inueni-
 at eum cum ea loquentem, potest eum tradere iu-
 dici puniendum. Quia violentissima, malæ &
 detestandæ couersationis, præsumptio est, auth.
 vt liceat matri & auix, §. his quoq;, collat. 8. Item
 cancellato chyrographo, præsumitur liberatio
 debitoris, l. si chyrographum, ff. de probat. Præ-
 sumitur vxor, quidquid habet, de bonis mariti
 acquisiuisse. Quilibet præsumitur bonus, idone-
 us, integræ famæ, & c. nisi contrarium probetur.
 Atqui hæc præsumptiones violentæ, etiam dicen-
 tur præsumptiones iuris: putà, quia ius præsu-
 mit aliquid, sed non statuit ius super præsump-
 to, igitur per contrariam probationem possunt
 extenuari tales præsumptiones, Bal. in l. si duo pa-
 troni, ff. de iureiur.

Quid est Præsumptio necessaria?

Præsumptio necessaria communiter vocatur
 iuris & de iure. Et definitur ab Alci. in tract. de
 præsump. in prin. quod sit depositio legis ali-
 quid præsumptis, super præsumpto, tanquam
 sibi comperto statuentis. Dicitur autem ideò iu-
 ris & de iure, quia ius vehementer præsumit sic
 esse, vel non esse, & propter talem præsumptio-
 nem ius statuit super ea. Verbi gratia: si is, qui
 cum virgine per verba de futuro contraxit, cog-
 nouerit eam postea, ius certè statuit contra hu-
 iusmodi matrimonium præsumptum probatio-
 nem non admitti: Nam ex quo eam cognouit,
 intelligitur in eam consensisse, quauis cum ea non
 contraxerit per verba, de præsentis, c. is qui, extr.
 de

de spons. Idem est, si que inuita viro tradita post
consenserit in carnalem copulam, vteritis non
auditur, c. significauit, extr. de eo qui dux, in ma-
tr. quam pol.

Traduntur & alia præsumptionum diuifio-
nes. Quòd scilicet alia sit famæ, alia naturæ, alia
iuris, alia iuris & de iure, alia facti, alia qualita-
tis, alia iudicis, seu contumaciæ hominis, alia fa-
cti præcedentis vel subsequents: quæ tamen om-
nes sub quatuor recensitis præsumptionum spe-
ciebus, continentur.

Quæ est causa Efficiens?

Est ipsa lex & ratiocinatio hominis ex varijs
coniecturis orta. coniecturæ autem ex diuersis
personarum, rerum, locorum, temporum, & fa-
ctorum qualitatibus sumuntur.

Quæ est Præsumptionum Causa ex qua?

Ex varijs causis præsumptiones proficiſcun-
tur, scilicet, ex persona, loco, tempore, qualitate,
fuga, fletu, negligentia, obscuritate, euentu, quã-
titate, taciturnitate sequenti, inutilitate, famili-
aritate, dignitate, dilectione, societate, frequen-
tatione, & ætate, Bald. in addit. ad Spec. tit. de præ-
sump. & Spec. eod. tit. §. præsumptio est.

Quod est Obiectum?

Res verifimilis, instrumentorum solennita-
tes, qualitates personarum, facta incerta. Nam
quæ iuris sunt, non præsumuntur: quia ius sem-
per est certum, l. 2. ff. de iuris & facti ign. consilia,
C c 5 affe-

410 ANALYS. IURIS PONTIFICII
affectus, & signa tam necessaria quàm verisimilia.

Quæ Forma?

Forma præsumendi varia est. Aliam enim præsumptionem iure introductam lex iuris firmitate roborat, & pro veritate eam haberi, & quicquid contrà statuatur, præcipit: aliam, donec iusticiæ quæstio controuertatur, & contraria probatione eneruetur, suis viribus relinquit; non tamen super præsumpto ius statuit; Alia denique omni iuris adminiculo destituta, nuda hominis opinione, inducitur.

Quis Finis & Effectus?

Pro varietate præsumptionum, variis sunt effectus. Temeraria enim præsumptio nec semper probationi sufficit, nec mouere animum iudicantis debet, c. 1. 2. quæst. 1. c. oues pallorem, 6. q. 1. c. si quid verò, dist. 86. c. licet Heli, ext. de simonia. Probabilis præsumptio, quæ lege iuuatur, vim habet probationis, nisi cōtrarium probetur. Sed quæ lege non iuuatur, sed tantum in opinionibus hominum consistit, non probat per se, sed iuuat probationem sibi concordantem. Hoc est, licet per se iudicem non moueat ad pronunciandum, cum vno tamen teste, vel cum alia consimili præsumptione, plenam facit fidem, c. illud, ext. de præsumpt. c. item sæpè, 4. q. 3. & c. si duo, 35. q. 6. Mouet etiam iudicem ad deferendum iuramentum ei, pro quo est præsumptio, non autem eius aduersario, l. in bonæ fidei, C. de reb. cred. Et ad imponendam purgationem infamato præsumpto, c. sicut consuetudo,

tudo, ext. de probat. c. presbyter, 2. q. 5. & c. 1. & 2. ext. de purg. canon. Contra eam autem probatio in contrariū admittitur. Violenta præsumptio, quæ ex verisimili probatione fit, diciturq; præsumptio iuris, onus probandi in aduersariū transfert, diciturq; actus à iure præsumptus, eo ipso probari, quod non probetur contrariū. Vnde ea liquidissima probatio vulgò appellatur, l. licet Imperator, ff. de leg. 1. In criminib. tamē enormibus non nisi semiplenam probationē facit, quæ tantum ad torturā, non autē ad infligendā poenā capitalem, nullo adiuncto alio adminiculo, sufficiens est: nec per præsumptiones condemnatur quis sine probationibus, quæ in criminalibus luce meridiana clariores desiderantur, cūm satis sit, impunitū relinqui facinus nocētis, quā innocentem condemnare, l. absentem, ff. de poenis, l. fin. C. de probat. c. literas, ext. eod. arg. c. nomine, 2. q. 1. c. quia verisimile, ext. de præsumpt. Est & huius præsumptionis iuris effectus quod aduersarium, qui contrarium probare nititur, duriore grauet probatione, adeo, vt nec ei semiplenè per vnū testem vel alio modo probanti, in supplementum probationis, deferatur iuramentum, Myns. obser. 68. cent. 5. per text. in l. vlt. & ibi gl. & Bald. ff. de eo quod metus causa. Deniq; necessaria præsumptio, quæ & iuris & de iure dicitur, plenā probationē facit, & pro veritate habetur, nec probationē in contrarium admittit, nisi per confessionem partis, restitutionem in integrū, & alia, quæ Alc. in Tract. de præsump. & Felin. in c. quanto, ext. de præsump. & Bald. in addit. ad Specul. remissiue recensent, tit. de præsumpt.

Qua

Quæ Cognata?

Omnes probationum species, & fictio iuris quæ nihil aliud est, quàm legis aduersus veritatem, in re possibili, ex iusta causa dispositio. Differunt tamé. Quia fictio fit aduersus veritatem præsumptio auté veritaté imitatur. Vnde dicitur lex falsum & certum fingit, sed verum & verum simile præsumit, Alc. in tracta, de præsump. in princip.

Quæ Adiacentia?

Veritas, confirmatio legis, possibilitas, verisimilitudo.

Quæ Pugnancia?

Notorietas rei, veritas in contrarium probata, iuris dispositio contraria, impossibilitas, certitudo facti. nam in claris & certis non est locus coniecturis, l. continuus, §. cum ita, ff. de verborum oblig.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Quilibet præsumitur bonus & idoneus, nisi contrarium probetur, c. dudum, &, c. cum in iuuentute, extr. eodem.

Ex præteritis præsumitur circa futura, c. mandata, &, c. scribam, extr. eod.

Ex vicinitate præsumitur notitia facti loci vicini, c. quosdam, &, c. quanto, extr. eod.

Qui ex duobus illatis alterum negat, reliquum affirmare præsumitur, c. nonne, extr. eod.

Quicumq; virtutibus studet, cum modestia continentia,

via, auditioni sapientum, obseruantia mandatorum Dei, maxime simplicitati & humilitati, is commendandus, c. ex studijs, extr. eod.

Conuersatio in adolescentia facit praesumptionem in senectute, d. c. ex studijs, extr. eod.

Praesumptio veritati cedit, praesumptio autem iuris & de iure ipsa veritas esse censetur, l. nuptura filio, ff. de iure dot. l. antiqua, C. ad S. C. Velleia.

Stante probatione pro aliquo, aduersarius, qui contrarium probare nititur duriori probatione grauatur, ad eod, vt nec ei semiplene probanti in defectum probationis iuramentum deferatur, c. quia verisimile, extr. eod. Myns. obser. 68. cent. 5.

Sicut manifeste nocens: ita & occultus poena obnoxius est, c. sicut, extr. eod.

Praesumitur semper in benigniorem partem, inquam, ipsa natura ratio & affectio ducit, c. estote, extr. de reg. iur.

DE IVRE IVRANDO.

Titulus XXIIII.

Continuatio.

IN probationum defectum, iusiurandum, quod litium expediendarum maximum remedium esse dicitur, defertur, c. etsi Christus, §. Iacobus, extr. eod.

Quid

Quid est Iusiurandum?

Est assumptio nominis diuini, qua inuocatur Deus, vt dicti fidem attestetur, d.c. et si Christus extr. eod.

Quot sunt eius partes?

Sunt duæ: Inuocatio diuini numinis, & in precatio, qua iurans, se pœnis & diuinæ vindictæ deuouet, si verum non dicat.

Quæ est Iuramentorum diuisio?

Quod iuramentorum aliud, sit promissoriũ, quod super futuro fit, quandocunq; videlicet, aliquid dandum vel non dandum, faciendũ, vel non faciendũ, promittitur. vt si quis iurando promittit iudicio sisti, aut litem exequi, c. 1. extr. de sequest. possess. Aliud assertoriũ, quod aliquid esse, vel fuisse asseritur. Quod plures habet species. Nam aliud dicitur de calũnia, aliud de veritate, aliud de malitia: item, aliud voluntarium, aliud necessarium, aliud iudiciale. Sed quia hæ postremæ iuramentorum species ad decidendas & finiendas lites proficiunt, & in defectum probationum proferuntur, hic potissimum sunt explicandæ.

Quid est Iuramentum voluntarium?

Voluntarium iuramentum est, quod ex conuentione, per modum transactionis extra iudicium defertur, dictum à spontanea suscipiendi voluntate, l. iusiurandum, ff. eod.

Quid est Iudiciale?

Est, quod à parte parti, in iudicio defertur, c. fin. extr. eod. quod quidem Actor facere potest, etiam.

etiam si nihil præstiterit, aut probarit, Iason in l. admonendi, ff. eod.

Quid Necessarium?

Necessarium est, quod iudex ex officio, in defectum legitimarum probationum, vbi neq; nihil, neque plenè probatum est, alterutri litigatorum defert: dictum à necessitate præstadi. Quia recusari, absque legitima causa, non potest, c. fin. extr. eod. l. generaliter, C. de rebus cred.

Quæ est causa Efficiens?

Præceptum iudicis, in supplementum vel defectum legitimarum probationum, alterutri parti præstationem iuramenti deferentis, vel partium conuentio; qui dirimendæ litis causa iuramentum sibijnuicem deferunt, & referunt, si probationibus, ad instruendam causam requisitis, sint destituti, l. 1. ff. eod.

Quod Obiectum, vel Materia circa quam?

Omnes lites & controuersia, in quibus litigantes probationibus sunt destituti: siue agatur de proprietate, siue de possessione, siue in personam, siue in rem. Non autem si res merè sit spiritualis, de qua controuersia est, vel actio famosa instituitur, vel criminaliter agatur; in quo genere causarum luce meridiana clariores desiderantur probationes, l. fin. C. de probat. c. fin. extr. eod. Specul. tit. de iuramenti delatione, §. quoniam, & Hostiens. tit. de assertorio iuramento, §. & super quibus, & Dd. in d. l. admonendi, ff. eod.

Quæ

*Quæ Forma deferendi & præstandi
Iuramentum?*

Si voluntarium fuerit iuramentum, vt voluntate eius, cum quo alicui negotium est, sponte suscipiatur, atq; ex vtriusq; voluntate, & qua conventionione susceptum inuocato diuino nomine absq; potestate referendi præcisè præstetur. facti enim ab initio, id ipsum suscipiendi, libera facultas, ita post susceptionem illud præstandi incumbit necessitas, l. sicut, C. de act. & oblig. l. iusiurandum, ff. eod. Si iudiciale, vt Actor, etiam si nihil præstiterit, ante litis contestationem, præstito de calumnia iuramento (si hoc peccat, deferat Reo iusiurandum, qui remissione iurandi non facta ipsum præstet, aut referat, soluat: siquidem, non subito delatum iuramentum præstare cogitur, sed referre, sicuti etiam uersarius contentus voluntate suscepti, iurandi delationem reuocare poterit, quo casu, peinde, ac si iuratum esset, habebitur, l. 4. & 5. ff. eod.

Quòd si necessarium: vt iudex, in civilibus, & arduis, non merè spiritualibus vel factis, nec criminalibus (nisi de pecuniaria poena agatur) vbi neq; nihil, neq; plenè probatum est, Reus quidem, si vel semiplenè probauit, vel eo nihil probante, Actori, qui semiplenè probauit, vel vtriusq; probationes sint pares, inspecta personarum qualitate, vt dignior & præstantior præferatur. vel si autoritate & dignitate pares, Reus cuius partes in sententia ferenda sunt fauorabiliores, nisi causa Actoris fauorabilior sit, vel causa
 la qua

sã qualitas aliud suadeat, ad petitionem parti-
 um ante conclusionem causę factã, in defectum
 vel supplementum probationum iuramentum
 ex officio deferat: & vt is, cui iuramentum hoc
 suppletorium à iudice delatum fuerit, absque
 relatione præstet, Dd. in l. admonendi, ff. eod. c.
 fin. extr. de purga. glos. in c. fin. extr. eod. Quare
 tradit Mynsingerus, in obseruat. 68. centu. 1. Ad
 hoc, vt deferri possit iuramentum suppletori-
 um, sex coniunctim considerari. Adeò, vt vno ex
 his deficiente, delationi non fit locus. 1. Quòd se-
 miplenè probatum sit, per vnũ testẽ omni exce-
 ptioe maiorè, & quòd talis semiplena probatio
 verè, & non præsumptiuè, concludat. 2. Quòd
 ille, cui defertur, sciat verisimiliter veritatem
 per sensum corporeum. Et ideò non defertur hæ-
 redi, cum verisimiliter ignoret negotij verita-
 tem. 3. Vt is, cui defertur, sit honesta persona, &
 integræ vitæ. quia vili. & suspecto de periurio,
 non defertur. 4. Quòd causa non sit ardua, vel
 criminalis, sed modica, & civilis. 5. Quòd talis
 semiplena probatio aliqua præsumptione dilui
 & eleuari non possit. 6. Quòd tale iuramentum
 fuerit à partibus petitum, antequam conclusum
 sit in causa. Et nota hic, quòd licet in crimina-
 libus non deferatur iuramentum in supplemẽ-
 tum probationis, hoc tamen verum est, si crimi-
 naliter agatur. Et in accusatore, non autem in
 Reo verisimilibus coniecturis & præsumptio-
 nibus grauato: hic enim ad ostendendam suam in-
 nocentiam iuramento onerari potest, vbi agitur
 de pœna pecuniaria. Vnde in causa fractæ pacis
 iuramẽtum purgationis Reo, contra quem sunt
 Dd suspi

fuspiciones, etiam absque noua citatione & processu deferri tradit Mynsing. in obseruat. 87. ceterum. 2.

Est & vsitatum, vt mares per expressionem nominis diuini, erectis duobus digitis, superioribus reliquis depressis, sceminae autem, impo-
ta manu dextera sinistrae mamillae, in loco publico, coram iudice, iurent.

Quis Finis?

Ne, inopia probationum, alicui ius suum peccat, sed iuramento in locum deficientis probationis suffecto, lites expediantur, teste Caio, qui in l. 1. ff. eod. ait: maximum remedium expedientiarum litium in vsu venisse iurifurandi religionem, qua vel ex pactioe ipsorum litigantium, vel ex autoritate iudicis, deciduntur controversiae. Hinc & Apostolus ait: Omnis controversiae finem esse iuramentum, c. etsi Christus, & Iacobus, extr. eod.

Qui Effectus?

Quod iuramentum voluntarium & iudiciale speciem transactionis contineant, maioreque habeant autoritatem, quam res iudicata, cedantque loco solutionis: Adeo, vt causa iurando ex consensu vtriusque partis, vel aduersario inferente delato & praestito, vel remisso, decisa, nec periurij praetextu retractari possit; nisi hoc specialiter lege excipiatur. Iurifurandi enim contempti improba praestatio diu-
nz

nã tantum vltioni relinquitur. Et post præsti-
 tum iuramentum, amplius non quæritur: quia
 asseueratio iurifiurandi religione firmata, pro
 veritate habetur. Ideò ei, qui formiter, scilicet,
 causa adiecta, & expressione contractus, ex quo
 quid sibi deberi contendit, iuravit, datur actio
 in factum ex iureiurando, vt ex re iudicata, vel
 etiam vtilis ex contractu. licet, si informiter iu-
 rauerit, vna tantum in factum iuratoria actio
 & exceptio iurifiurandi concedatur, Hostiens.
 titul. de iurament. asserto. §. & si quis, Zasius, tit.
 de actionibus, inst. l. 2. l. iurifiurandum, l. nam po-
 stea, ff. eodem. l. 1. l. 2. & l. actori, C. de reb. cred.
 necessarium autem iuramentum cum non ex li-
 tigatorum pactione, sed autoritate iudicis,
 propter probationum inopiam, deferatur, vim
 non habet transactionis, vel rei iudicatæ, sed
 probationis.

Non tamen adeò, quin detecto periurio, vel
 nouis repertis instrumentis, retractari non pos-
 sit, l. eum, & l. admonendi, & ibi Dd. ff. eod. Sunt
 & alij iuramentorum effectus, qui in l. qui iuraf-
 se, ff. eod. & per Iason. in §. item si quis, inst. de a-
 ctionib. recensentur.

Quæ Cognata?

Fidei promissio, quæ, quo ad promissiois ob-
 seruationem, à iuramento non differt. Vtraq; e-
 nim par est efficacix, sed tantum quo ad pœnã,
 quæ non pariter fractione fidei atq; iuramento

D d 2 in-

incurritur did. Coauar. in 1. part. comment. in c. quamuis, de pactis in 6. Imò, promissio sub fide & dignitate principali à Principe facta iuramento solenniter præstito æquipollet, Mynf. in obseruat. 17. cent. 1. Affinia etiam sunt, res iudicata, transactio, secundum l. 2. ff. eod. & l. non minor, C. de transact.

Quæ Adiacentia?

Innocentius III. ex Hieremia propheta, colligit, iuramentum tres habere comites, scilicet, veritatem, iudicium, & iustitiam. Veritas hic ex conscientia iurantis iudicatur. Si enim aliter sciat, quam ore exprimit, in periurij crimen incidit. Iudicium intelligitur de discretionis & animi deliberatione, quæ in pupillis, furiosis, alijque mente captis non est: igitur à iuramentum præstatione repelluntur. Iustitia accipitur de rebus iustis, licitis, & honestis, extra quas iuramentum præstitum in temerariam & impiam degenerat promissionem, c. fin. 17. q. vlt. c. si quis, 13. q. 2. c. cum quidam, ext. eod. Hostiens. hoc tit. §. quot comites, & Alc. c. cum contingat, extr. eod.

Quæ Pugnancia?

Periurium, mendacium, imbecillitas intellectus, minor ætas, furor, iniquitas, falsitas, dolus, metus, frequentia iurandi, turpitude.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Regulariter in arbitrio iudicis est, vt Actore in probationibus deficiente, si reus grauatus sit verisimilibus

con-

coniecturis, & præsumptionibus, quòd ad ostendendam suam innocentiam iuramento onerari possit, c. vlt. §. vlt. extr. eod. & Myns. obser. 89. cent. 2.

Iuramentum suppletorium non defertur, nisi semiplena probatio verè vel necessariò cõcludat, nec sufficit eã præsumptiuè concludere, Rom. cons. 91. num. 10.

Iuramentum litis decisorium à iudice delatum sine iusta causa recusari non potest, delatum verò à parte licitè refusatur, & refertur, excepta actione famosa, in qua Reo, referre non licet, c. iuramentum, extr. eod.

Actore nihil probante, Reus, etiamsi nihil præstiterit, obtinebit, præsumptione verò faciente pro Reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam: Nisi iudex in spectis personarum & causa circumstantijs illud Actori videat deferendum, d. c. fin. §. sanè, extr. eod.

Si mulier iuravit aliquem esse maritum, & succubuit, quia alias probationes non attulit, non datur, nec denegatur ei licentia cum alio contrahendi, c. mulieri, extr. eod.

Iuramentum præstitum super actu à lege infirmato, principaliter favore iurantis, licet in consequentiam, in favorem publicum, necessariò est observandum, si non vi, dolo, aut metu fuerit extortum, c. cum contingat, eod. & c. sicut, eod.

Non adstringitur quis iuramento adimplendo quod iuravit, si ab alia parte non impletur, cuius respectu præstitum est iuramentum, c. sicut, eod.

Sicut modico vino, propter frequentes infirmitates, vitæ licet, ita pro re vera, licita, & honesta, necessitate exi-

gente, potest securè iurari, c. etsi Christus, §. quemadmodum, extr. eod.

Quaedam prohibentur, quia per se mala sunt: vitium, adulterium, & c. quaedam verò prohibentur ex causa: non quia per se mala sunt, sed quia, si fiant, frequenter & multum ex his mala sequuntur. Sic iuramentum per se quidem malum non est, cum sit confirmatio veritatis, sed tamen prohibetur ex causa: quoniam ex frequenti & incauta iuratione periurium saepe contingit, etsi Christus, extr. eod.

Ad iurandum non debet quenuquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas importuna trahere, d. c. Christus.

Quodlibet iuramentum tres comites habere debet: veritatem scilicet, iudicium & iustitiam, d. c. Christus, Iacobus, eodem.

Is, qui iuravit cum muliere contrahere, propter peruenientem fornicationem vel deformitatem, compelli potest, propter praecedentem non, c. quemadmodum, eod.

Ex causa leui & temeraria, coniuges, etiam quatuor, & mutuam cohabitationem, se separare non possunt, etiam cum iuramenti interpositione, c. tuus, eodem.

Omne iuramentum generaliter praestitum, intelligitur in omni meliori modo, quo suslineri possit, c. ad nostrum, eodem.

Ad liberationem à iuramento per metum extortum, opus est Ecclesiastica absolutione, qua non secuta, servandum est, c. ad nostrum, eodem.

dum est, si absq³ interitu salutis aeternae seruari possit, c. si
verò, & c. verum in ea, ext. eod.

Vasallus, qui iuramentum fidelitatis superiori prala-
to praestitit, successoribus iurare non cogitur, c. veritatis.
eod.

Veritatis amica est simplicitas, d. c. veritatis, extr.
eod.

Crimen ab eo, qui in dignitate constitutus est, tanto
gravius est vindicandum, quanto maiore praeminet di-
gnitate committens. Quia eius exemplo facilius alij po-
terunt ad similia prouocari, c. cum quidam, extr. eod.

Periurus est, & ab Ecclesia remouendus, qui non ne-
cessitate, sed voluntate contra licitum iuramentum ve-
nit, c. querelam, eod.

Debitor, qui iurauit creditori nullum grauamen su-
per re pignorata inferre, donec soluerit debitum, non au-
ditur repetens pignus, & volens compensare fructus in
sortem: sed debet prius debitum integrum soluere, & po-
stea rem cum fructibus inde perceptis exposcere, c. ad no-
stram, extr. eod.

Si obijciens exceptionem iurisiurandi, remissi, vel de-
biti, ex illa exceptione succumbat, nec plenè ante litis
contestationem probarit, licet super hoc examinati fue-
rint testes, nihilominus post litis contestationem, iterum
poterit opponi, testesq³ rursus examinari & publicari su-
per eadem, Mynsing. 14. obser. centur. 4.

424 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
DE EXCEPTIONIBVS.

Titulus XXV.

Continuatio.

Actoris intentione fundata, solet quandoque Reus conuentus exceptiones peremptorias, ad excludendum & perimendum id, quod ex narratione facti, & agendi iure Actor in libello concludit, obijcere, l. 2. ff. de excep. & prescrip.

Quid est Exceptio?

Exceptio, secundum Vlp. in l. 2. ff. eod. dicitur, quasi quaedam exclusio, quae interponi actioni cuiusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemque, deductum est.

Quae causa Efficiens?

Est ipsa lex, & alia omnia, quae vicem legis habent. Unde exceptiones à causa efficiente, diuiduntur in ciuiles & praetorias, testante Iustiniano, in §. alioqui, instit. de excep.

Quae sunt Exceptiones ciuiles & praetoriae?

Exceptiones ciuiles dicuntur, quae ex legibus, vel ex ijs, quae vicem legis obtinent, vt sunt, senatusconsultum, plebiscitum, consuetudo, siue statutum, & c. proficiscuntur: vt exceptio Macedoniani, Velleiani senatusconsulti, & c. Praetoriae sunt, quae ex edictis, & ex ipsius praetoris iurisdictione substantiam capiunt, d. §. alio.

alioqui. Quæ per multos Pandectarum libros
sparsim explicantur, vt exceptio doli, metus, pa
cti, conuenti, &c.

Quæ Materia?

Materia circa quam exceptionum, est, actio de
iure competens, vel nullo iure competens, sed
de facto tantum intentata, Dd. in l. non exceptio-
nibus, C. eod. Cuius contemplatione exceptio-
nes diuiduntur in exceptiones peremptorias fa-
cti, siue intentionis, & exceptiones perempto-
rias iuris.

*Quæ sunt Exceptiones peremptoriæ
intentionis?*

Sunt, quæ intentionem Actoris experiuntis
tantum de facto; cum ei nulla nunc competat
actio; (siue antea competierit siue non) perimunt.
Nulla autem Actori competit actio, quando Reus,
neque naturaliter, neque ciuilitè agenti obliga-
tus est: vel saltem naturaliter, ex qua tamen non
datur actio. Exceptionum peremptoriarum fa-
cti, siue intentionis enumerantur, rei iudicatæ,
transactionis, & iurifurandi, c. 1. eod. tit. in 6.

Quid est Exceptio rei iudicatæ?

Exceptio rei iudicatæ est, quæ competit illi,
pro quo antea in eadem causa, super qua nunc
conuenitur, lata sententia est, quæ transiit in
rem iudicatam. Ea enim, cum, propter auctori-
tatem iudiciorum, habeatur pro veritate, tollit
ciuilem obligationem, etiam si fuerit iniqua, l.
ingenuum, ff. de stat. hominũ. Agens igitur, qua-
si actionis fundamento destitutus, ob ciuilem ob-
liga-

Dd 5

liga-

ligationis extinctionem, ab intentione, per h
 ius exceptionis obiectionem, de facto repe
 tur. intellige tamen de sententia cōdemnator
 quæ transiens in rem iudicatam, producit acti
 nem iudicati in factum, l. actori, C. de reb
 cred. ergo multò magis exceptionem producit
 ei, pro quo sententia lata est. Ut autem hæc re
 dicatæ exceptio competat, tria coniunctim in
 teruenire debent: 1. Ut sententia lata sit à iudice
 competente, qui habuit ius iudicandi, c. seculares
 de for. comp. in 6. 2. Ut sententia sit lata, iuris ordi
 ne seruato, c. cum inter cæteras, ext. de sentent. &
 re iudic. 3. Ut ab ea non fuerit infra decem dies
 appellatum: vel appellatum quidem, sed inli
 tuta appellatio post elapsa fatalia; annum scilicet,
 vel biennium, prosequendæ appellatiōis præ
 fixum, & concessum; deferatur. Quæ si interue
 rint, tam in ciuilibus quàm criminalibus com
 petit rei iudicatæ exceptio, c. de his, extr. de accu
 sat. Excepta matrimonij causa, quæ nunquam in
 rem iudicatam transit, quin, comperta veritate,
 retractari possit, c. lator, extr. de sent. & re iud.

Quid est Exceptio transactionis?

Est, quæ competit contra eum, qui, super cau
 sa antea in iudicio, vel extra iudicium transacta
 rursus de nouo litem exuscitat, & actionem in
 stituit, l. fratris, C. de transact. Lites enim, legit
 mis transactionibus sopitæ, etiam Imperiali re
 scripto resuscitari non debent, l. causas, C. de trã
 act. Pariter ad hanc exceptionem tria requirun
 tur: 1. Ut fiat inter personas, quibus transigendi
 facultas

facultas concessa est. quæ illæ personæ sint, vid^o
 supra, de trãfact. item vt fiat de rebus licitis & p^r
 missis. 2. Vt fiat bona fide: quoniam replicatio
 doli, exceptionem transactionis dolo vel metu
 initæ elidit & enecat, leg. tres fratres, ff. de pactis.
 3. Ne fiat post rē iudicatam: transactio enim post
 rem iudicatam celebrata, iure non subsistit: nisi
 negetur, vel ignorari possit, an iudicatū sit, l. post
 rem iudicatam, ff. de transact. Sciēdum tamen,
 quòd iure ciuili intersit, an transactio per Aquil-
 ianā stipulationem, an per nudum pactum, fa-
 cta sit. Nam si per nudum pactum: exceptio trãf-
 actiōis non dicitur exceptio intentionis, vel fa-
 cti, sed iuris. Ratio est. Quia Actor de iure adhuc
 competit prior actio, quam transactio per pactū
 celebrata, penitus enecare non potuit. Cūm pa-
 ctum sit conuentio iuris gentium, quæ actionem
 iuris ciuilis nō tollit, vt notāt Dd. in l. cūm pro-
 ponas, §. de transf. Quòd si autem Aquiliana stipu-
 latio addita fuerit, vel acceptilatio, quæ dicitur
 esse ciuilis solutio, perimens omnem obligatio-
 nem, tunc hæc exceptio transactionis, intentionis
 & facti dicitur, quia hoc casu Actor agens
 ad ea, quæ transactione sunt sopita, de facto expe-
 ritur, ius tamen Canonum approbans nuda pa-
 cta ad constituendum actionis ius, hanc distin-
 ctionem celebratę transactionis per Aquilianā
 stipulationem & nudum pactum non curat neq;
 approbat, c. 1. extr. de litis contestat. vbi gloss. &
 Dd. in yer. finitæ,

Quid

Quid est Exceptio Iurifurandi?

¶ Iurifurandi exceptio est, quæ datur contra eum, qui illius negotij, cuius controuersia delati vel relati iurifurandi præstatione sopita transacta est, nouam quæstionem refricari tendit. Iuramento enim, aduersario deferente vel referente, in iudicio, vel extra iudicium præstito, tantum quæritur an iuratum sit? nec quæstio admittitur, l. non erit, §. dato, ff. de iureiur. Quod intellige de iuramento voluntario & iudiciali. Illa enim cum ex conuentione præstitum originem trahant, vim habent transactionis, maioremque auctoritatem, quam res iudicata, l. 2. ff. de iureiur. Nec quid impedit, quod nunc hæc duæ iuramentorum species, sicuti iudicata, & transactio ciuilem obligationem tollere, atque pari ratione exceptio ex illis præstata, sicuti litis finitæ impediens litis ingressum intelligatur: eius enim gratia ex litigatorum præstatione defertur, & præstatur iuramentum, ut si finis imponatur: ita ut non in scitè Innocentius III. in c. etsi Christus, §. Iacobus, extra de iureiur. dixerit; Omnis controuersia finem præstat se iuramentum. Quod de iuramento necessarium iudicis auctoritate, in defectum vel supplementum probationum delato, accipi non potest: illud enim vim decisionis vel transactionis non habet, sed probationis, aduersus quam in contrarium admittitur probatio, l. admonendi, ff. de iureiur. Et licet ex solo tali iuramento locum probationis deficientis præstito feratur sententia, per lapsum fatalium, transiens in rem iudicatam.

catam

catam, & postea eandem controuersiam velit resuscitare aduersarius, non tam iurisiurandi, quam rei iudicatae exceptione ab intentione sua remoueretur, &c.

Et hæ tres exceptiones, si in vim dilatoria, ante litis contestationem obijciantur & probentur, propriè litis finitæ, impediens litis ingressum: Si autem in vim peremptoria, post litem contestatam, opponantur, peremptoria dicuntur. Nec alium tunc effectum, quam aliæ peremptoria iuris, producunt, Canonistæ in c. exceptionem, extr. eod.

Quæ Exceptiones peremptoria iuris dicuntur?

Exceptiones peremptoria iuris dicuntur, quibus eliditur actio illius, cui competit quidem actio de iure, sed non cum effectu exactionis. Quod contingit, quando Reus non est naturaliter obligatus Actori, sed tantum ciuilitè. Hoc enim casu, licet ciuilis obligatio pariat actionem, illa tamen per exceptionis obiectionem ita enervatur, ut exigendi effectum habere non possit. Quarum quamplurimè recenferi possunt. Sunt enim rei iudicatae, ex sententia, absolutoria, doli mali, quod metus causa, erroris, non numeratae pecuniæ, pacti de non petendo, &c.

Quæ Exceptio rei iudicatae dicitur peremptoria iuris?

Exceptio rei iudicatae dicitur peremptoria iuris, quæ manat ex sententia, quâ Reus conuentus liberatur definitiuè ab actione, eò quòd Actor intentionem suam probare non poterit

rit

rit. hoc enim casu, licet, ob iudiciorum auctoritatem, tollatur civilis obligatio, remanet tamen ob consensum, quam victus sententiæ latae præbere non præsumitur, naturalis, ex qua, ob defectum probationum, victo competit actio, quæ contra reum denuò intentata, per exceptionem rei iudicatæ eliditur. Sed quomodo ex naturali tantum obligatione dari potest actio, civili obligatione, quæ tantum actionem producere dicitur, sublata? Respondet Bart. in l. Julianus, ver. secundo, ff. de condict. indeb. quem sequuntur ibi Paul. Ias. & alij: Licet naturalis per se ad producendam actionem inefficax sit, ad cõservandam tamen, ex coniunctione naturalis & civilis productam obligationem, proderit. Sicuti femella viro non mixta, licet non pariat, potest tamen ex coniunctione viri partum conceptum etiam absque viro cõservare. Ideò pari ratione hoc casu, naturali obligatione remanente tantum, quæ civili coniuncta fuit, ex coniunctione producta actio cõservari potuit: cui tamen exceptio rei iudicatæ, quæ ob id nõ peremptoria facti, siue institutionis, sed iuris, dicitur, obstare potest. Tamen adverte, quòd hoc verum sit, si ex illa causa, et qua antea actum est, agatur, si autem ex alia causa, ad eandem rem, actio instituat, non obstabit rei iudicatæ exceptio: illud enim canonicum est: Si, assignata remota causa, vel in rem, vel in personam, agens succubuit, non obesse rei iudicatæ exceptionem, quò minus denuò ex alia causa rem eandem petat, l. de eo, ff. ad exhib. l. hæreditas, C. de petit. hæred. Quòd si agens actione

in rem remotam, non expresserit causam, sed tantum proximam, id est, dominium, omne ius suum in iudicium deduxisse videtur: ideo si reus absoluitur obstat actori rei iudicatæ exceptio, l. & eandem, §. actiones, ff. de excep. rei iud. (Quæ verò sit causa remota vel proxima in actione personali & reali? Vide latius supra, titu. de libel. oblat.) Inquam, si Reus, Actore non probante, absoluitur, obstat eadem iterum agenti exceptionem rei iudicatæ peremptoriam iuris, non facti, nisi pronuntietur, ipsum quoque esse dominum. Hoc enim casu, si Actor non appellet, præsumitur consentire, ut penes Reum dominium permaneat: per quem consensum naturalis obligatio etiam tollitur, ita ut ne reliquæ quidem prioris institutæ actionis remanere videantur. Sed nonne pari ratione, si Reus simpliciter absoluitur, videtur Actor in iudicatum consentire non appellando? Respondeo, quòd sic, quatenus tale iudicatum est: absolutoria autem sententia simplex non omnino adimit Actori ius suum, sed ab impetitione liberat conuentum Reum. Ergo naturalis obligatio, quæ summæ æquitati subnixa est, adhuc durare intelligitur: submouetur autem Actor denudò agens exceptione rei iudicatæ, quæ naturali obligationi ad auctoritatem publicam, cui iudicia innituntur, in dubio præualet.

Quid

Quid est Exceptio doli mali.

Exceptio doli mali est, ius, quo submovetur intentio eius, qui petit id, quod illi, ratione prohibiti doli, promissum est. Promissio enim iuris vinculum contineat, civilem obligationem inducit: licet per adhibitionem doli, naturalis obligatio impediatur: ideo actio ex obligatione proficiscens, exceptione doli abicitur. Distingue tamen circa contractus. Autem doli dat causam contractui bonæ fidei, in qua citatus amoris instinctus, bonæ fidei exuberantia, summaque æquitatis ratio, nihil fraudis admittit: Et tunc ipso iure nullus est contractus, nec rescissione indiget, ut in societatis iure & arbitrio rei uxoriæ, l. 3. ff. pro socio, & mulier, §. si dos, ff. quod metus causa. Autem causam alijs contractibus bonæ fidei, & stricti iuris, vel incidenter venit in contractum bonæ fidei vel stricti iuris: & contractus ipso iure non subsistit, sed per exceptionem, vel actionem doli rescinditur, l. 1. ff. de excep. doli, l. dolo, C. de dolo, & l. & eleganter, ff. de dolo. Licet contractus bonæ fidei, etiam ob dolum per actionem ex ipsius contractus natura proficiscentem, rescindatur, l. si dolo, l. dolus, C. de rescind. vend. & l. Iulianus, §. per contrarium, ff. de act. et vend.

Quid est Exceptio, Quod metus causa?

Exceptio, quod metus causa, est, qua repellitur Actor petens quod metu extorsit, non datur facti

facta traditione, l. si donationis, C. de his, quæ vi metusq; causa, &c. Metus enim, qui in constantem virum cadere potest: vt metus mortis, cruciatus corporis, capitalium minarum, potentia, &c. naturalem obligationem, ob defectum consensûs impedit: licet, ob aliqualem factæ promissioni accommodatum consensum, producat civilem, per hanc exceptionem, Quod metus causa, elidendam, l. fin. C. de his, quæ vi, metusq; causa, &c. l. si mulier, C. eod.

Quid est Exceptio erroris?

Exceptio erroris est, quæ datur illi, qui promittit, quod credidit se debere, cum non deberet, obligatur enim civiliter, propter promissionem. Cum autem error impediatur consensum, naturalis obligatio, ad firmandum promissionis ius, produci non potuit, l. si per errorem, ff. de iurisdic. omnium iudicum.

Quid est Exceptio pacti, De non petendo?

Exceptio pacti, De non petendo, est, quæ competit contra eum, qui, per pactum, se non petiturum promittit. Quæ ideo elidit actionem iuris, quia per pactum, De non petendo, eliditur tantum naturalis obligatio, remanente civili. Sicut enim nudum pactum non parit efficacem obligationem ad agendum, ita quoque, non potest eam tollere ipso iure, sed exceptionis æquitate, l. iuris gentium, ff. de pact. Fallit tamen in omnibus contractibus, qui consensu contrahuntur. Quia illæ obligationes, nudo con-

E e sensu,

fensu, re integra, tolluntur. Secundò in actio-
nibus famosis, ex maleficijs descendentibus: vt,
furti, iniuriarum, & similibus; illis enim ca-
sibus per pactum, obligationes & actiones tol-
luntur. Nota etiam, quòd hæc exceptio pacti,
De non petendo, per aliud posterius pactum,
De non petendo, elidatur: non quidem, ipso
iure, sicuti stipulationes stipulationibus tol-
luntur, sed replicationis ope. in illis enim ius,
in his factum, versatur, l. si vnus, §. pactus, ff.
de pactis. Sunt & aliæ facti, & iuris, exceptiones:
vtputà, præscriptionis, solutionis, acceptilatio-
nis, compensationis, deceptionis vltra dimi-
dium, quæ suo loco explicantur.

Quæ Forma Exceptionum?

Forma exceptionum certa præscribi non po-
test: sufficit enim, simplici facti narratione, in-
scriptis, vel, sine scriptura, in iudicio, co-
ram iudice, ante vel post litis contestationem,
(prout obiectæ exceptionis conditio requi-
rit) ipsum exceptionis ius explicare. Modus
autem proponendi & tempus, quo opponi
debeant, hic consideranda sunt. Proponun-
tur enim quædam exceptiones in modum ac-
tionis: velut, simulationis contractus, non
numeratæ pecuniæ, &c. Quæ & excipiendo, sic
uti omnes aliæ exceptiones, opponi possunt.
Et licet illæ ad certum tempus, infra quod
objiciendæ, restringantur, sunt tamen, omnes
penè exceptiones ex varijs causis proficiscen-
tes

tes perpetuæ: etiam si actio, cui obijcitur, annualis sit. quia quæ annua sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum, l. quæsitum, ff. de peculio. Ratio est, quia Actori liberum est, quando suo iure uti velit, quod non conceditur Reo, qui de tempore, quo conveniri possit, incertus est, l. 5. §. ult. ff. de doli except. Excipiuntur exceptiones dilatoriæ cum illis, quibus ipsa lex, & pactio hominis, utendi modum & opponendi tempus, præscribunt. Nam licet pluribus uti exceptionibus de iure competentibus, & vna omissa, vel non probata, ad aliam redire nemo prohibeatur, l. nemo, ff. eod. Tamen non omnes vno tempore, vel ad vnum effectum proponuntur. Opponuntur enim in vim peremptoriæ: quædam post litis contestationem: quæ si ante litem contestatam obijcerentur, litis ingressum impedirent: ut sunt omnes exceptiones peremptoriæ facti, siue intentionis, vel litis finitæ. Quæ quidem si in vim dilatoriæ opponuntur, ante litis contestationem incontinenti probandæ sunt, ut litis ingressum impediant: Si verò in vim peremptoriæ, obijci post litis contestationem possunt, & probari, cum aduersarius intentionem suam probando fundavit, l. fin. C. de except. & ibi Dd. Bald. in l. edicto, C. de edict. diui Adria. toll. & cap. 1. extr. de litis contest. Exceptiones peremptoriæ iuris opponuntur, & probantur, ante sententiam, non autem post sententiam, l. peremptorias, C. sententiam rescindi nō posse.

Ni, ex quodam priuilegio, hoc concedatur: vt si sententia contra minorem, militem, vel mulierem, esset lata, vel specialiter lege sancitum fit: vt de exceptione falsi procuratoris, nullitatis processûs, & similibus. Exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium opponitur: exceptio ex epistola diui Adriani, & excommunicationis ante, vel post litis contestationem. Dilatoriæ verò pleræque ante litem contestatam sunt opponendæ & probandæ, ad quas proponendas potest, imò debet, iudex terminum assignare, vltra quem excipere volens non auditur; nisi ante terminum de pluribus proponendis fuerit protestatus, vel aliqua ^{causa} de nouo competens sibi exorta fuerit, vel ^{si} faciat iuramento, se postmodum ad illius ^{causa} titiam peruenisse, c. pastoralis, extr. eod. Quod quidem verum est, non tantum de dilatorijs iudicij, sed etiam de dilatorijs actionis, vel causæ, de qua agitur: vt est exceptio pacti, De non petendo intra certum tempus, exceptio executionis in personali, ante lapsum quatuor mensium, &c. Nam & hæc initio ante litis contestationem opponi possunt, probari autem eas, priusquam Actor intentionem suam fundauerit, non est necesse, l. exceptionem, C. de probat. & ibi Dd. Declinatoriæ denique exceptiones proponi debent initio litis, non modò ante litis contestationem, sed ante reliquas exceptiones, quæ ex varijs causis competere possunt: quoniam ipsæ omisissis, si procedat Reus, in tale iudicium confensusse, & iudicem approbasse videtur. Quare & recusationis exceptio, qua iudex ob suspicio-

nem

nem recusatur, primò omnium obijci debet, c. quoniam, extr. de probat. &, gloss. in c. 4. extr. eod.

Ex his omnibus patet, varias esse exceptionum diuisiones: Quædam enim sunt temporales, quædam perpetuæ: quædam reales, quædam personales, quædam transitoria, quædam non transitoria in hæredes, &c.

Quis Finis & Effectus?

Quòd exceptiones peremptoriæ facti in vim dilatoriæ obiectæ impediât litis ingressum, post litem autem contestatam, in vim peremptoriæ oppositæ, perimant intentionem Actoris: Reliquæ omnes exceptiones vel perimant actionem, vel differant, vel mutant iudicium. Hinc generalis illa diuisio, exceptionum, quam Caius in l. 3. ff. eo. ponit, desumitur: Quòd quædam exceptiones sint dilatoriæ, siue temporales: quædam peremptoriæ. Sed cùm de peremptorijs satis superq; dictum sit, nunc quid dilatoriæ? & ex quibus causis desumantur? videamus.

*Quæ dilatoriæ Exceptiones dicuntur,
& quotuplices?*

Dilatoriæ exceptiones, dicuntur & temporales, quæ ad tempus tantùm nocēt, & actionem in tempus differunt, l. 3. ff. eod. Et sunt duplices: quædam declinatoriæ iudicij, quædam dilatoriæ intentionis.

Ee 3

Quæ

*Quæ sunt declinatoriæ iudicij, & ex quibus
causis colliguntur?*

Declinatoriæ iudicij dicuntur, quæ, mutati
fori causa, obijciuntur & colliguntur, ex multis
causis: 1. Ratione iudicis: quod sit incompe-
tens, suspectus, bannitus, infamis, furiosus,
mutus, surdus, minor, mulier, hæreticus, lu-
dæus, Specul. in tit. de iudic. deleg. §. excipi po-
test. 2. Ex persona Actoris: vt, quia prodigus,
furiosus, mutus, surdus, infans, minor, volens
agere sine tutoris auctoritate, Specul. tit. de a-
ctore, qui plures ponit. 3. Ex persona Reo, vt,
quia Doctor iuris, Medicus, artium liberalium
professor: qui inuiti cogi non possunt in
iudicio, clericus conuentus coram laico, pater,
patronus, consul, vel persona in dignitate co-
stituta, & conuenitur absque venia iudicis, Spe-
cul. tit. de Reo. 4. Ex persona procuratoris,
quod sit mente captus, mutus, surdus, redem-
ptor litium, accusatus de crimine, nec purga-
tus, minor, mulier, Specul. de procuratoribus.
5. Ex rescripto: vt, quia est falsum, surrepti-
tium, cancellatum, rasum, Specul. tit. de re-
script. qui multò plures ponit excipiendi cas-
us. 6. Ex tempore: vt, quia citatus ad diem
feriatam, vel tempore messis, vel vindemia-
rum, tot. tit. C. de ferijs. 7. Ex loco: vt, quia lo-
cus non est tutus, propter incursum hostium,
vel latronum, vel grassantem pestem. 8. Ex
causa: vt, quia quis conuenitur super pluribus
actionibus personalibus coram diuersis iudici-
bus, c. dispendia, extr. de rescript. 9. Colligun-
tur

tur ex libello: vt, quia defectus est in solemnitate, vel fit obscurus in personali, non expressa causa agendi, vel non concludat, tot. tit. de libel. oblat.

Quæ sunt Exceptiones dilatorie intentionis?

Sunt illæ, quæ differunt negotium, vel causam principalem in certum tempus, vel pro parte, vel in totum, differunt. Et hæ exceptiones etiam ex multis causis proficiuntur. primò, ex legis dispositione: quando videlicet lex non statim, sed certo tempore solutionem fieri statuit: vt est in condemnato in actione personali, qui non tenetur iudicatum soluere, ante lapsum quatuor mensium, l. 2. ff. de re iud. Itē, quando vxor, vel eius hæredes soluto matrimonio, repetunt dotem, non tenetur maritus reddere ante annum à die soluti matrimonij computandum res mobiles, l. vnica, C. de rei vx. act. Huc quoque referendæ sunt exceptiones, quibus quidem se defendunt à solutione solidi: quales sunt dominus & pater, quando conueniuntur depeculio filij & serui. 2. Maritus quando vxor repetit dotem. 3. Parens & patronus, quando cõueniuntur à filijs & libertis. 4. Quando agit socius cum socio. 5. Si quis conuenitur ex sua donatione. 6. Is, qui celsit bonis. Nam illi omnes habent exceptionem, ex dispositione legis, qua se defendunt, ne teneantur soluere solidum, sed quantum facere possunt. Et sic differatur solutio pro parte, l. sunt qui, ff. de re iudic. Spec. in tit. de excep. §. nunc videndum.

Secundò, oriuntur ex conuentione partium, vt si tibi promisi in diem, & tu petis statim, l. continuus, §. cum ita, ff. de verb. oblig. Vel, quia ab initio purè obligatus eras, & postea feci tibi pactum, De non petendo, vsque ad certum tempus, l. 3. §. temporales, ff. eod.

Quæ Cognata?

Actio legis Diffamari, duplicatio, quadruplicatio, (quia excipiendo proponuntur) reconuentio.

Quæ Adiacentia?

Naturalis æquitas, cui exceptio, quæ speciem defensionis habet, subnixa est, protestationes, contestationes, exercitium de iure competentis exceptionis. Quia super ea si non legitime proponatur, iudex cognoscere non solet?

Quæ Pugnancia?

Replicatio : quia sicuti exceptio actionem, ita replicatio exceptionem excludit : triplicatio, quintuplicatio ; vltra tamen quadruplications in bene institutis iudicijs vnã exceptionem protendi non permittitur ; statutum & consuetudo, quæ tales vel tales exceptiones proponi prohibent, pactum, De non petendo, aliæq; iure licitæ conuentiones partium, quibus exceptiones tolluntur : omnesq; exceptiones, quibus falsum, iniquum, & absurdum asseritur. Non enim hæ exceptiones sed allegationes illicitæ & improbæ, dicendæ sunt.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

De attentato post appellationem, etiam ab interlocutoria, non est necesse in rescripto facere mentionem, c. dilecta, extr. eod.

Replicatio excludit exceptionem, c. dilecti, eod.

Excipiens non videtur fateri ea, quae exceptione includuntur, c. cum venerabilis, extr. eod.

Excommunicatus, excipere, appellare, & omnem defensionem facere potest, sed recouenire non potest, c. cum inter, extr. eod.

Iudex statuere debet terminum ad omnes dilatorias proponendas, post quem excipientem non audiet: nisi de ea proponenda fuerit protestatus, vel aliqua de nouo sibi competens exorta fuerit, vel is, qui voluerit eam opponere fidem faciat iuramento, se postmodum ad illius notitiam peruenisse, c. pastoralis, extr. eod.

Periculosum est coram suspecto iudice litigare, c. cum inter, extr. eod.

Iudicium non debet claudicare: nec Reus multories condemnandus, d. c. cum inter, eod.

Exceptio est conditio, quae modo eximit Reum à damnatione, modò minuit damnationem, l. antepenult. ff. eodem.

Exceptiones peremptoriae facti si in ingressu litis opponuntur, non ad merita causae, sed ad litis ingressum, impediunt litis contestationem.

Nemo prohibetur vti pluribus exceptionibus, quamuis diuersae sint: quare vna omissa, vel non probata, ad a-

442 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
liam redire potest, l. nemo, ff. eodem.

Non utiq³ existimatur confiteri de intentione ad
sarij, cum quo agitur, qui exceptione vititur, l. non utiq³
ff. eod.

Omnes exceptiones, quæ Reo competunt fidei
quoq³, etiam invito Reo, cōpetunt, l. omnes, & l. excep
ones, ff. eod.

Exceptiones quæ personæ cuiusq³ coherent, non tra
eunt ad hæredes, l. exceptiones, eod.

Replicatio est contraria exceptio, quasi exceptio
exceptio, l. exceptio, eod.

Generaliter in præiudicijs Actoris partes sufficiens
habet intentionem secundum id, quod intendit, l. gene
liter, eod.

Exceptiones opponuntur, aut quia factum sit, quod
fieri oportet, aut quia factum sit, quod fieri non oportet,
aut quia factum non sit, quod fieri oportuit, l. excep
nes, eod.

Rei iudicata exceptio non obstat quin instrumenti
firas probari possit, l. qui ad gentis, eod.

Ea quæ sunt ad agendum annua, vel temporaria
ad excipiendum perpetua, l. 4. C. qui admitti, & c.

Non tene tur Reus suam exceptionem probare, nisi
Actor suam intentionem impleverit, vel eam confite
fuerit Reus, l. exceptionem, C. de probat.

Agere etiam is videtur, qui exceptione vititur; l.
Reus in exceptione Actor est, l. 1. ff. eod.

DISCORD. IVRIS CIVILIS ET PONTIFICII

Legista peremptoria obiectu litæ putant contestari
Bal. l. 1. C. de litis contest. Canonista negant, nisi infirmo

do contestetur, c. 2. extr. de litis contest.

Exceptionem temporalem, vt est exceptio non numerata pecunia, perpetuam esse ex equitate putant Canonista, Dyn. c. locupletari, in 6. de reg. iuris. Leges negant.

DE PRAESCRIPTIONIBVS.

Titulus XXVI.

Continuatio.

Licet praescriptiones, pro exceptionibus, in vim dilatoriarum obiectis promiscue usurpentur, est tamen praescriptio exceptio causam ex tempore trahens, qui Actoris intentio quandoque perimitur.

Quid est Praescriptio?

Praescriptio est, ius quoddam ex tempore continua possessionis rerum mobilium & immobilium, aliquando dominij vtilis, aliquando actionis vtilis, aliquando legitimae exceptionis causam tribuens, 16. q. 3. Hostiens. tit. de praescrip. rerum immobilium. Vel: praescriptio est ius quoddam ex tempore congruens, legum auctoritate vim capiens negligentibus poenam inferens, & finem litibus imponens: quae duae definitiones a fine & effectu sunt desumptae, Panor. & Ioannes And. in c. possessor, de reg. iur. in 6.

Quotuplex Praescriptio?

Praescriptionum alia, temporalis, alia perpetua est. Temporales praescriptiones a varietate materialium variae desumuntur, & dicuntur, vel horarum, vel mensium, vel annorum, longior tamen 25. annos non transcendit: quas vide in Hostiens. §. quot sunt eius species, tit. de praescrip. Perpetuarum alia, est 30.
vel

444 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
vel 40. annorum, 16. q. 3. §. potest, c. sanctimonio
lis, 12. q. 1. quibus omnes actiones, item pigus
tertio quodam possessum, res furtivæ, de iure
uili, & de iure Canonico Ecclesiæ privilegia præ
scribuntur, l. omnes, C. de præscrip. 30. vel 40. an
no. c. si de terra, & c. accedentibus, extr. de primi
& excess. & c. Et hæc præscriptiones dicuntur lon
gissimi tēporis. Dicitur etiã præscriptio tati tem
poris, cuius initij memoria non extat, perpetua
qua imperium, iurisdictio, vectigalia, ius colle
ctandi pædagia, & alia regalia præscribuntur, c.
super quibusdam, extr. de verb. sig. & ibi Cano
nista. Etiam servitutes causam discontinuam ha
bentes, c. quæ sine facto hominis non consistunt,
Perpetua etiam dicitur præscriptio 100. annorum,
quæ specialiter soli Romanæ Ecclesiæ concessa
est, ab Innocētio III. qui asserit, in iuribus ad Ro
manam Ecclesiam spectantibus currere solam cen
tenariam præscriptionem, c. ad audientiam, ext.
eod. Quod ita accipiendum est, si priuatus con
tra Romanam Ecclesiam in aliquod præscribere
præsumat, aliàs enim Ecclesia contra privilegia
alterius Ecclesiæ 30. vel 40. annorum spatio præ
scribit, d. c. de terra, & c. accedentibus, extr. de pri
uileg. & excess.

Quæ est causa Efficiens?

Est lex civilis causam fundatam habens in
iure naturali, iubente humanam societatem in
tuto esse constituendam, & conseruandam: quod
fieri non posset, si non certi fines litium sopien
darum essent cōstituti. Inquit enim Caius in l. 1.
ff. de vsucap. bono publico vsucapionem esse
introducendam, ne scilicet quarundam rerum diu,
&

& ferè semper incerta dominia essent, cùm sufficeret dominis ad inquirèdas res suas statuti temporis spacium. Et licet textus loquatnr de vsucapione, quæ propriè rerum mobilium est: tamen cùm generaliter accepto vocabulo vsucapionis, præscriptionem etiam contineat, dubium non est, quin relata in tit. De vsucap. ad præscriptionem, nisi eius naturæ repugnent, transferri possint, &c.

Quod Obiectum?

Res mobiles, immobiles, corporales & incorporales: vt sunt iurisdictiones, iura seruitutū, actiones, aliæq; q̄ vel iure, vel corpore consistūt; nisi humanis vsibus & cōmercio sint exēpta: vt sunt res sacræ, religiosæ, sanctæ, liber homo, spiritua- lia, c. causam, extr. eod. glos. in c. 2. ad verb. iura, extr. de reb. Eccles. non alienand. l. ait prætor, §. 1. ff. de iure dot. Aduerte tamen, quòd hoc obtineat, si præscriptionis vocabulum generaliter accipiat, & ratione effectus: vt propter rem mobilem præscriptam, vel res incorporales longissimo tempore, & cuius initij memoria non extat quasi possessas, competat præscriptionis exceptio, iuri tamen offerendi, luendi, & alijs, quæ sunt meræ facultatis ne quidem triginta annis præscribitur, Myns. obser. 16. cent. 1.

Quæ Forma?

Vt præscribens rem, quæ præscribi & posside- ri possit, bona fide iusto titulo per continuatio- nem temporis lege definiti suo nomine posside- at. Ex quibus apparet, quæ ad præscriptionem
in-

inducendam requirantur, requiritur enim
mò, vt res præscribi possit. 2. Bona fides. 3. Tem-
pus. 4. Continuatio possessionis per tempus
definitum. 5. Vt possessio, non alieno, sed
nomine, contingat.

Quæ res dicitur Præscriptibilis?

Res præscriptibilis dicitur, quæ non est com-
mune & humanis vsibus exempta, & quæ posside-
ri potest, vel quæ nõ est vitiosa. Nam quæ posside-
ri non possunt, non præscribuntur, cum præscriptio
absq; possessione non inducatur, c. sine possessio-
ne, in 6. tit. de reg. iur. Non autem possidentur, quibus
impossibilitas vel iuris vel facti obstat. Impossi-
bilitas facti, est in illis rebus, quæ per rerum naturam
non existunt; vel existunt quidem, sed in domi-
nium nostrum adduci non possunt: vt sunt
quæ mari sunt demersæ, & similes. Iuris impossi-
bilitas, possessioni obstat dicitur, si res ventura
possideatur; quæ enim legibus prohibita
sunt, illa nos non posse, existimandum est: Vt
res sacræ, sanctæ, religiosæ possiderentur; in his
nimis fauor religionis iuris impossibilitate, quo
ad possessionem, inducit, quod tamen intelligitur
quo ad laicos. Quoniam clerici, sicuti eas posside-
re, ita præscribere possunt, c. causam, extr. eod. tit.
& per totum, 16. q. 3. Res autem furtiua & in
possessione licet possideantur, tamẽ, ob vitium fur-
ti, vel violentiæ, quo affectæ sint, non præscribun-
tur, nisi longissimi temporis vsu illud purgatum
fuerit. quod quidem iure civili statuitur, iure au-
tem Canonico possessor rei alienæ sibi conscius
nunquam præscribet, c. fin. extr. de præscrip.

Quid

Quid bona Fides?

Bona fides est, vt glos. notat in c. si diligenti, extr. eod. credulitas, qua quis putat tradentem esse dominum, vel habere ius distrahendi, licet erret in facto. Cui opponitur mala fides: quam dicitur ille habere qui scit, eum, à quo rem comparat dominum non fuisse, vel eius distrahendę potestatem non habere: vel alienationem & possessionem legibus esse prohibitam, Dyn. c. possessor in 6. de regu. iur. Quo autem tempore bona fides ad præscriptionem requiratur, quaritur. Et distinguendum est inter ius ciuile & Pontificium. Ius enim ciuile possessionem bona fide inceptã, licet postea mala fides superueniat, vel eius qui incepit, vel vniuersalis successoris sufficientem ad inducendam præscriptionem constituit. Quod quidem verum est in successore vniuersali, & hærede & bonorum possessore: non autem successore singulari vt venditore emptore, permutatore, donatore & donatario, &c. inter eos enim, licet continuatio temporum ad complendam præscriptionem proficiat, tamen vtriusq; bona fides requiritur. Ratio diuersitatis fundatur in fictione iuris: qua vniuersalis successor eadem persona cum defuncto reputatur, quę fictio in singulari successione locum sibi non vendicat. Exempli gratia, Titius prædium à Seio, quem putat verum esse dominum, soluto iusto precio, comparat, (Ecce bona fides) Titius moritur post præscriptionis inceptiõem elapso triennio, relicto hærede Caio, qui venditorẽ prædij distracti dominum non esse, scit, (Ecce mala fide

fide

fides in successore vniuersali) adita hæredita-
 prædium per septennij spacium possidet: an tem-
 pora, scilicet triennium defuncti, & septennium
 hæredis, ad constituendum tempus præscriptio-
 nis inducendæ definitum continentur? nec ob-
 fit tanto tempore hæredis mala fides præscriptio-
 nis vigori? Leges ciuiles continuari tempora
 nec malam fidem postea superuenientem impe-
 dimento præscriptioni esse, statuunt: initium
 enim præscriptionis inspicitur quod si mala fides
 careat, præscriptionem inducit, si verò non ca-
 reat, & defunctus notitiam rei alienæ habuerit,
 vel contra leges, & dolo malo, sciens rem compa-
 rauerit, hæredis etiam bona fides ad impleendam
 malè captam præscriptionem, non proficit nisi
 à se præscriptio incepta & legitimo tẽpore com-
 pleta fuerit. Si verò Titius, post triennium ad hæ-
 res superstes prædium vendat, Titij bona fides em-
 ptori ad perficiendam præscriptionem nihil pro-
 dest: Nisi & is rem alienã esse ignoret, & sic bona
 fidem habeat, hoc enim casu continuatio tempo-
 rum & possessionum accessio fiet, proficiet tẽpore tri-
 ennalis possessio ad præscriptionis inductionem
 ipsi emptori, §. inter venditorem, inst. de vlt. vol.
 & longi temp. præscrip. & §. diutina, eod.

Ius autem Canonicum in possessore quolibet
 tempore bonam fidem requirit, donec præscrip-
 tio compleatur. Et idè quocunq; tempore ma-
 la fides superueniat, ante completam præscrip-
 tionem, interrumpitur præscriptio. Quod etiam
 in huiusmodi causis decidendis obseruari debet:
 dubium enim non est, quòd quiuis, qui sciens re
 alienam possidet, se peccatis aggrauet, cum non
 tan-

tantum furta, direptiones, & alia, quæ damno proximi cedunt, lex diuina prohibeat, sed etiam aliena restituenda præcipiat, possessor igitur malæ fidei, iuxta Bonifacij VIII. regulam, nullo unquam tempore præscribit, c. possessor, de reg. iu. in 6. l. veniens, &, c. si diligenti, extr. de præscriptionibus. Quod & Innocentius III. tam in Canonica, quam ciuili præscriptione statuit, c. fin. extr. eod.

Quid est Titulus?

Sola bona fides non sufficit ad præscriptionem, sed requiritur etiam iustus titulus, quia, sicuti ex temporis tractu non tollitur, ita etiam non constituitur aliquod ius, l. obligationum, ff. de act. & oblig. c. dudum, extr. de decimis. est autem titulus causa, seu modus ad transferendum dominium habilis. Quorum quosdam iure gentium, quosdam iure ciuili introductos docet Iustinianus in §. singulorum, inst. de rerum diuisione: ut sunt, pro derelicto, pro suo, pro soluto, pro emptore, pro tracto, pro hærede, pro donato, pro legato, pro dote. Titulū, pro suo, Vlpianus generalem constituit in l. 1. ff. pro suo: Paulus autem specialem, l. 2. ff. pro suo. Generalis est qui cum omnibus alijs iuris ciuilis titulis concurrat: Nam qui, pro emptore legato, donato vel alio titulo possidet, pro suo, etiam possidet, d. l. 1. Specialis autem titulus pro suo dicitur, iuris gentium modus, quo possidemus omnia, quæ mari, terra, caelo capimus, aut quæ alluitione fluminum, nostra fiunt: item, quæ ex rebus alieno nomine possessis nata possidemus; & quotiescunque alius titulus

Ff

pro

deficit, pro suo quis possidere dicitur: quare patrum hæreditariæ aut emptæ ancillæ, similiter fructus rei emptæ, aut donatæ, Pro suo possideri dicuntur, d. l. 2. ff. pro suo. Quia in illis alius titulus possidendi non habetur. Titulus, Pro derelicto dicitur, quando res mea ab alio, qui debeatur dominus, possidetur: eaq; ab ipso possessore, Pro derelicto, habita à tertio, qui ipse credebat esse dominum, possideatur, qui etiam Pro derelicto, iuris titulo acquirere potest, etiam si, à quo derelicta sit ignoret. Res enim, Pro derelicto, habita, statim domini esse desinit, et si cupantis sit, si eam apprehendat, quia iisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus acquiritur, l. 1. & l. id quod, ff. Pro derelicto. Quod si non apprehendatur, nullius esse desinit. Nam, licet iuxta opinionem Iuliani, quæ Pro derelicto sententiæ prævaluit, res, Pro derelicto, habita desinat omittentis esse: non tamen alterius nisi possessa fuerit, l. Pro derelicto, ff. eodem. Titulus, Pro soluto, proficit præscriptioni incurrendæ, cum vterq; & solvens, & is cui solvitur iusto errore ducti, putant debitum esse, cum tamen non sit, & hoc verum, siue causa debiti sit, siue non sit, vel sua res ex nulla, vel aliena ex causa, præcedente, credente eo qui accipit, traditionem rei alienæ & traditæ esse dominum, traditur, tamen ex causa emptionis tradens rem, cum emptio nulla præcesserit, non inducitur vitio. Ratio diuersitatis est: quia in alijs contractibus vnum tantum tempus, scilicet solutionis, traditionis, inspicitur, sed in emptione duo.

pora, videlicet contractus & solutionis, attenduntur, l. pro emptore, ff. pro emptore: ut igitur accipiens rem traditam ex causa emptionis vsucapiat, non tantum possessionem bona fide adeptus, sed etiam bona fide emisse debuit. Titulus, Pro emptore, iusta dicitur prescriptiois causa, si emptio rei alienae in rei veritate & traditio celebrata sit: vel cum eo, qui rem suam ius distrahendi non habet, l. 2. ff. Pro emptore. Ad hunc titulum requiruntur: 1. Conuentio contrahentium. 2. Ut sit conuentio pura, non condicionalis. 3. Ut res vendita, sit tradita. 4. Ut precium sit solutum. 5. Ut emptor utroque tempore, & conuentionis & traditionis habeat fidem bonam, d. l. 2. ff. pro emptore. Titulo, Pro transacto, vsucapitur res, quae relinquenti actionem & recedenti a lite, transactionis causa, a non domino putante se dominum, traditur. Nec enim hoc titulo vsucapitur id, super quo transigitur, i. res de qua litigabatur, sed id, propter quod transigitur, i. res, propter quam a lite receditur, l. si profundo, C. de transf. Pro donato, inquit Paulus, is vsucapit, cui donationis causa res tradita est: nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet: si igitur donationis causa venditio fiat, non pro emptore, sed pro donato, res tradita, vsucapitur, leg. 1. & l. fin. ff. Pro donato. Idem Paulus, Pro legato, vsucapi ait, si res aliena legata sit, aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur: vel si in nomine erit dubitatio: veluti si Titio legatum sit, cum sint duo Titij, & alter eorum de se cogitatum existi-

mauerit, vel si is, cui tradita res est, mortuū esse testatorem putauerit: his enim casibus probabilis error, & putatiuus titulus iustam dat vsucapiēdi causam, l. pro legato, & l. si is, ff. pro legato. Pro dote, vsucapio locum habet inter eos, inter quos est matrimonium. si enim sponso aliquid datum sit, nuptijs nondum solutis, nō pro dote, sed, pro suo, vsucapiet. Et contingit, quando res aliena bona fide in dotem datur, l. 1. & l. duarū, ff. pro dote. Pro hærede, vsucapit is, qui verè hæres est, & qui testamenti factionem habet. Quando videlicet hæres rem alienam in hereditate defuncti inuentam, post aditam hereditatem, legitimo tempore possideat, putās, ipsam fuisse defuncti: vel et si sciat dummodò interruptum præscriptionis bona fide non caruerit: quia superueniens mala fides hæredis legitimæ inceptæ præscriptionis cursum non impedit, de iure uili, toto tit. pro hærede, & pro possess.

Quæ possessionis Continuatio requiratur?

In præscriptione longi temporis, continuari possessionem oportet inter præsentēs decennio, inter absentes autem vicennio: in longissimæ temporis præscriptionibus, 30. vel 40. annis continuari possessionem, nec naturaliter vel ciuilitate interrumpi, necesse est. Naturaliter interrumpi dicitur possessio, ut quia possidere possessor desijt, vel quia aliquid ex substantialibus vsucapionū ei interuertitur: ciuilitas autem interruptio fit per citationē solennē, denunciationem, vel litis

con-

contestationem, l. moræ, C. de rei vind. Continuare possessionem non semper vna eademque persona dicitur, sed fit quandoque possessionum & temporum diuersarum personarum coniunctio, quæ ad constituendum præscriptionis ius proficit. Sic continuatur tempus testatoris in hæreditatem & hæredem, hæredis in legatarium, venditoris in emptorem, donatoris in donatarium, l. hæres, l. nunquam, ff. Pro suo, l. 2. ff. Pro empt. Exempli gratia si donator rem immobilem, inter præsentis quinquennio bona fide possedisset, eamque in donatarium, donationis titulo, transtulisset, hic donatarius in possessione rei immobilis donatæ & traditæ, bona fide per quinquennium perseuerans, tutò contra dominum vindicantem ipsam rem præscriptionis iure se defendit, possessio enim donatoris eius possessioni ad perficiendam præscriptionem accedit.

Quis Finis?

Gaius Iur. Con. in l. 1. ff. de vsucap. bono publico introductam esse asserit, ne scilicet, quarundam rerum diu, & ferè semper, incerta dominia essent: cum sufficeret dominis, ad inquirendas res suas, statuti temporis spacium. Neracius finem clariùs expressit in l. fin. ff. Pro suo. ait enim, vsucapionem esse introductam, vt aliquis sit litium finis, quod fieri non posset, si cui libet de possessionibus alterius controuersas mouere, quocunque tempore, concederetur.

Quis Effectus?

Effectus vsucapionis rerum mobilium est,

ff 3 adie-

adiectio directi dominij, & directa rei vindictio, pro re vsucapta recuperanda, & exceptio præscriptionis.

Effectus autem præscriptionis rerum immobilium est, adiectio utilis dominij Publiciana actio & exceptio: quia lex utilis actionem dat ei, contra quem longi temporis præscriptio inducta est, l. si duo, §. Iulianus ait, ff. de iureiur. Ergo naturali ratione dominium directum penes dominum permanere videtur, cuius contemplatione et datur actio, quam tamen præscriptionis exceptio elidit. Hinc patet, præscriptionis exceptionem non esse peremptoriam facti, i. quæ ante litem contestationem obiecta impediat litem ingressum, competit enim præscribenti contra eum, qui de iure experitur, vel cui de iure competit actio, absque tamen effectu exactionis. Nec obstat, si dicatur, præscriptionem introductam ut sit litium finis, d. l. fin. ff. pro suo: ergo præscriptionem esse litem finitam? Hinc, n. non sequitur, esse peremptoriam facti, quia etiam exceptiones peremptoriæ iuris dicuntur esse litem finitam, cum ipsam actionem permanent: Neque tamen ob id, ad impediendum litem ingressum, ante contestatam litem opponuntur, & peremptoriæ exceptiones facti sunt. Ad discernendam enim & discernendam peremptoriam iuris, & facti, ius ipsum Actoris experientis inspicendum est. Qui si actionem in iure fundatam intentet, quæ exceptionis ope elidi possit, hæc Reo competens exceptio peremptoria iuris dicetur, eritque post litem contestatam obijcienda, & cum Actor intentionem suam fundaverit, probanda, l. peremptorias, C. sententiam rescindi non posse.

posse. Si verò Actori, nulla sibi de iure competēt^r actione experietur, exceptio contra ipsum obiecta ante litis contestationem, & probata peremptoria, facti erit, & litis ingressum impedit, Dd. in c. exceptionem, extr. de except. Qualis non est exceptio præscriptionis: ea enim contra Actorem, cui de iure utilis actio, ad repetendam rem suam competit, obijcitur. quare post litis contestationem obijcienda, & cùm Actor de iure suo probauerit probanda erit, per l. emptor, C. de præscrip. long. temp. Itē est in vsucapionibus rerum mobilium. Quia licet, per vsucapionem dominiij directi adiectio contingat, intelligitur tamē hoc legis authoritate, licet naturali ratione penes dominum dominium permaneat. In præscriptionibus autem 30. vel 40. annorum, vel etiam longioris temporis, exceptio præscriptionis dicitur exceptio facti: quia tãto tempore dubium non est, quin omnis actio, tam realis, quàm personalis, in odium negligentis penitus tollatur, l. sicut, & l. omnes, C. de præscrip. 30. vel 40. annorum.

Quæ Cognata?

Præscriptioni affinia sunt, omnes iuris civilis modi, quibus sigillatim rerum dominia acquirimus; vt legatum, donatio, &c.

Quæ Adiacentia?

Possessio, sine qua præscriptio non procedit, titulus, bona fides, quæ de iure Canonico ad omnem præscriptionem requiritur, Dd. in c. fin. extr. eod.

Ff 4

Quæ

Quæ Pugnantiæ

Mala fides, possessionis interruptio, siue civilis, siue naturalis, reale, vel personale vitium quod præscriptionem impedit, causæ falsitas, error, iuris ignorantia, cōtrarium statutum, quod prohibet præscriptionem, & pactum. Quia per conventionem derogari potest præscriptioni quod verum est de præscrip. 30. vel 40. annorum non autem immemoriali, absq; tali pacto iuris offerendi, luendi, & alijs, quæ sunt meræ facultatis, ne quidem triginta annis præscribitur, Mynd. obser. 16. cent. 1.

A X I O M A T A.

Possessor mala fidei non præscribit: licet iure civili. c. si quis; præscribit enim 30 annis, c. vigilantibus, extr. eod.

Nec constitutio, nec consuetudo, quæ absq; peccato potest observari, valet, c. fin. extr. eod.

In præscriptione rerum Ecclesiasticarum bonus fidei & iustus titulus requiritur, c. si diligenti, extr. eod.

In iuribus ad Romanam Ecclesiam spectantibus currit sola præscriptio centenaria, c. ad audientiam, c. cum vobis, extr. eod.

Laici spiritualia non possidere, ergo nec præscribere, quia præscriptio absq; possessione, non procedit, c. c. ang. extr. eod.

Præscriptiones in fauorem possidentis, & odium negligentis domini, nec tanto tempore rem suam repetere introducta est.

DE SENTENTIA ET
re iudicata.*Titulus XXVII.*

Continuatio.

CVM iurgantium controuersias celeri sententia terminari, æquitati & iuris rigori conueniat, c. 2. extr. eod. debet iudex iure Actoris & Rei cognito, & habita cum peritis consultatione, ad sententiæ pronuntiationem procedere.

Quid est Sententia?

Sententia est, iudicialis diffinitio, controuersiæ finem imponens, condemnationem, vel absolutionem continens, c. ei qui, 2. quæst. 6.

Quotuplex Sententia?

Duplex interlocutoria & diffinitiuæ. Interlocutoria est, quæ inter principium causæ, & finem, fertur, non super principali, sed super incidentibus quæstionibus, vel emergentibus: putà, si iudex super libello ferendo, vel corrigendo, dilatione danda, vel deneganda, similibusq; exceptionibus pronunciat, c. significantibus, extr. de offic. deleg. Quam nec in scriptis ferri oportet, & ante diffinitiuam sententiam, quancumq; iudex reuocare poterit, l. quod iussu, ff. de re iudic. Specul. tit. de sententijs, §. iusta, versic. quid de. Diffinitiuæ autem est, quæ condemnando, vel ab-

soluendo principalem definit quæstionem: non
valebit, nisi absolutionem, vel cõdemnationem
contineat, §. diffinitiva, l. quæst. 2. & c. illa, cap.
de accusat.

Quæ causa Efficiens?

Est iudex competens, qui iurisdictionem ha-
bet in quæstione proposita: siquidem sententia
à non competente iudice lata, ipso iure non va-
let, c. at si clerici, extr. de iud. & c. ad audientiam
nostram, extr. de consuetud. Intantum ut nec iu-
dex competens alteri prolationem verbis
committere possit, d. c. ad audientiam nostram,
nisi iudex sit illustris, authen. ut ab illust. col. 6. §.
sanctimus. Et si sint plures iudices omnes simul
sententiam ferre debent, nisi per contumaciam
quis sit absens: valet enim tunc sententia præsen-
tium, c. prudentiam, §. adijciamus, extr. de off.
deleg. vel nisi vnus de mandato aliorum pronun-
cier: vel nisi in commissione contineatur, quod
vnus possit, sine alio, procedere, l. si tres, ff. de ar-
Spec. hoc tit.

Quæ causa Impulsiva?

Ipsa æquitas, ut ait Gregorius in c. iurgan-
tum, extr. eod. Iurgantium controuersias ceteris
sententia terminare & æquitati conuenit & Grego-
ri.

Quæ causa Procatardica?

Instantia partium, si conclusione causæ factæ
sententiam ferri per iudicem petant.

Quæ

Quæ Materia?

Sunt omnes res, siue mobiles, siue immobiles, corporales, siue incorporales, de quibus iudicialis controuersia, vel lis, esse potest.

Quæ Forma?

Forma iudicandi vel ferendi sententiam, ex requisitis, quæ ad legitimæ sententiæ vigorem desiderantur intelligi poterit. Primò enim, vt sententia lata valeat, requiritur, vt lis sit contestata, confessions, probationes, allegationes auditæ, omniaq; causæ merita diligenter inuestigata & cognita, Clemen. pastoralis, de sen. & re iud. 2. Vt conclusio in causa vtrinque per litigatores sit facta, c. nullum, c. iudicantem, 30. quæst. 3. 3. Vt causa ex actitatis in iudicio sit benè discussa, & à Iurisperitis deliberata, Specu. hoc tit. 4. Vt ab ipso iudice competente, c. at si clerici, extr. de iudicijs. 5. Vt loco consueto, l. 2. C. de sententijs ex breuiculo recitandis. 6. Non die feriato, & noctu, l. 5. C. quomodo & quando, iud. sententiam ferre debet, Dd. in l. non minorem, C. de transf. 7. Iudice pro tribunali sedente, §. sedebunt, athen. de iudicijs. 8. Vt fiat in scriptis, l. 2. & 3. C. de sententijs ex breui. reci. 9. Citatis ad hoc litigatoribus, vel tribus edictis, vel vno peremptorio, quod tamen trium edictorum tempus in se integrumq; spacium comprehendat, c. 1. extr. de caus. pos. & prop. Lanfr. in c. quoniã, verb. citationes, nu. 7. de probat. & c. cum olim, extr. de test. 10. Vt sit certa, tot. tit. quæ sine certa quan. proferuntur. Quanquam certam sententiæ causam exprimi non sit necesse, c. sicut, extr. eodem. 11. Vt sit conformis libello, Auctor conf. 249. in quæst
num

460 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
num. 2. 12. Ut fiat secundum allegata & probata: non autem priuatam & erroneam iudicium conscientiam, c. si sacerdos, extr. de offic. iudic. ordin. 13. Secundum consuetudinem, leges & constitutiones, l. cum prolati, C. eod. Guid. pa. in proce. decis. circa finem. Et denique, in illa sex contineat, de quibus per Specul. hoc tit. 1. Nomen iudicis, an sit Delegatus vel Ordinarius? 2. Nomina litigatorum. 3. Tenorem petitionis in iudicio porrectæ. 4. Substantiam processus causæ, puta litis contest. iuramenti præstationem, & similia. 5. Quod fiat mentio, partes esse presentes, vel per contumaciam abentes. Ultimò, quod contineat condemnationem, vel absolutionem, pronunciationem, & alia, quæ videbuntur iudici optima.

Quis Finis?

Vt lites finiantur, d. c. 2. extr. eod.

Qui Effectus?

Primò, quod iudex, post pronunciationem, reuocare sententiam non possit: quia semel bene vel malè officio suo functus est, l. iudex, ff. de re iudic. & toto tit. in authen. de appellat. & intra quæ temp. Sed cum durat adhuc officium, retractare sententiã poterit, vt in interlocutoria, vel cum sententia est ipso iure nulla, l. quod iussit, ff. eod. l. si qui, C. de adult. & ibi Dd.

2. Quod non rescindatur, prætextu instrumentorum postea reperorum, c. inter monasterium, & c. suborta, extr. de re iudic. Vel ratione calculi, l. 2. C. de re iud. nisi error calculi in sententia

sententia exprimat, l. 1. ff. quæ sententiæ sine appel. rescindantur.

3. Quòd sententia post decem dies, si ab ea non fuerit appellatum, transeat in rem iudicatam, tot. tit. in authent. de appellat. & intra quæ, &c. Sententia enim differt à re iudicata, vt causa ab effectu, siquidem sententiam dicit iudex: at verò ex sententia nascitur res iudicata, quemadmodùm obligatio ex contractu, perindeq; propter auctoritatem iudicis, vt veritas habetur: vnde Vlpianus in l. res iudicata, ff. de reg. iu. rem iudicatam pro veritate accipi, asserit. Nam siue benè siue malè iudicatum sit, publica tamen iudiciorum auctoritas, ad se iuris præsumptionē rapit, adeò vt non ampliùs quærat de iure Actoris aut Rei, sed de eò tantùm, quod est iudicatum, sicut in iureiurando, & transactione, quæ & ipsa iudicati vim habent.

4. Sententia ius facit inter partes, inter quos est lata, etiam si lata sit contra ius litigatoris, l. ingenuum, ff. de sta. hominum. Alijs autem, qui vicem Rei vel Actoris, in iudicio non subierunt, sententia non præiudicat, vnde stricti iuris esse dicitur, l. sæpè, ff. eod. & Bart. in l. 2. §. item, nu. 5. ff. si quis in ius vocat.

5. Vigore illius iuris, per sententiam constituti, non tantùm Reo, pro quo sententia lata est, exceptio litis finitæ, si conueniatur, competit, c. 1. extr. de litis contest. Sed etiam actio iudicati vel in factum, vt sententiæ satisfiat, litigatoribus conceditur, l. actori, C. de reb. cred. & l. miles, ff. eod.

6. Potestas implorandi officium iudicis, ad
man-

mandandam executioni sententiam, per iudiciario processu seruato latam. Iudicis officio petenda est sententiæ executio. Et notione in factum ex re iudicata descendente in libello: quia executio ipsa in facto consistit à diuo Pio, ff. de re iud. & probat Speculator titul. de sententiæ execut. Sic in Camera summaria propositio, & petitio, pro faciendâ executione: quia executionis processus summarie esse, & proinde maturè expediri debet: de summa igitur & plano, absque libello & litis contestatione proceditur, Dd. in l. à diuo, ff. de re iud. notat And. Geyl. obseruat. 113. lib. 1. pract. obseruat. nec per exceptionem requirentem aliam indaginem executio suspenditur, l. 3. §. ibi ad exhib. Excipitur tamen vnus casus, vbi libellus admittitur, & lis super eo contestatur, vbi tamen, si tertius interueniat, & executionem pro interesse impugnet, Dd. in c. cum super, extr. de iur. & l. sapè, ff. eod. Est autem in personali actione regulariter, post quatuor menses, sententiæ executioni mandanda, c. quarenti, extr. de offic. dele. & c. quo ad consultationem, extr. eod. Quoties tamen quadrimestre tempus nonnunquam per vicinarum locorumque qualitate, & circumstantiis consideratis arctari extendique poterit, d. c. de consultationem, & l. 2. ff. eod. hoc modo primò capiuntur bona mobilia & semouentia quæ sunt: secundò, immobilia: tertio, perueniuntur ad nomina siue iura, id est, ad ea, quæ ei debentur, dum tamen sint liquida & confessa. Et si deus recuset manu militari cogitur & proceditur, notatur in l. à diuo Pio, ff. eod. & l. qui restituitur.

ff. de rei vindicat. in reali autem actione, si nō est appellatum à sententia, nec restitutio postulata, si res illa, in qua cōdemnatio facta est, sit præsens, sententia permissionem in possessionē rei sibi adiudicatæ executioni mādanda est, statim post decendum, i. decē dierum spaciū: quia hoc temporis tractu, transit sententia in rem iudicatā, c. cū Bertold, ext. eod. c. cū dilecti, ext. de elect. & c. significauerūt, ext. de testib. Sed Cameræ Imperialis iudex, sententiam, q̄ transiit in rem iudicatā, per viam executorialium & mandatorū executorialium exequitur. Quæ sine clausula iustificatoria decernuntur, cū termino sex septimanarū, & trium dierum, & annexa citatione ad decendiū de partitione, vel vidēdum, se declarari in pœnam executorialium, aut allegandum causas, cur talis declaratio fieri non debeat: & sic in effectu habēt clausulam iustificatoriam. Quod fit e ratione: quia sunt quædam exceptiones, quibus, etiam post sententiæ prononciationem, obiectis, impeditur executio, de quibus per Specul. in tit. de excep. & replicat. §. d. cto, num. 14. Inter executoriales autem & mandata executorialia hoc interest. Quod executoriales decernantur, quoties executio sententiæ immediatē ad Cameram spectat, vt putā, si sententia à qua in Camera confirmata sit, si prononciatum sit in causa appellationis, benè iudicatum, malè appellatum: quo casu ex recepta & cōmuni doctorū opiniōe, executio tam causæ principalis, q̄ expensarū omniū instanciarū ad cōfirmantē nō ad iudicē à quo pertinet, l. p̄cipim⁹, §. in his, C. de appel. Felin. in c. pastoribus, ext. de off. iud. deleg. Mandatū verò executoriale.

riale tunc demum conceditur, quando executio sententiæ ad iudicem a quo spectat: veluti, si iudex appellationis pronuntiat appellationem desertam, vel rigore priuilegij, aut ex alia causa non deuolutam. Quo casu ex prima sententiæ actio tantum oritur, & idem iudici a quo executio competit. Franc. in c. ex ratione. ext. eod.

Quomodo Sententiæ, per iudicem Ecclesiasticum latae, executio fit?

Iudex Ecclesiasticus, pro executione suæ sententiæ, suspendendo, deponendo, excommunicando, & degradando, procedere potest, pro conditione & statu personæ victæ. Nam si clericus fit, summa, qua potest coercere pœna, est, cum excommunicatione degradatio: siu laicus excommunicatio. Quod si autem victus Ecclesiasticas censuras faciat nihili, easq; obstinate & præfracta fronte contemnat, nolitq; sententiæ contra se latæ, parere: tunc, imploratio brachij secularis, omnium vltimum, adeoq; extremum remedium esse debet, per tex. in c. ab homine. extr. de iud. Hoc enim Canonicum est, iudicem Ecclesiasticum, si pro executione suæ sententiæ, omnia fecit quæ facere potuit, brachium seculare inuocare, adeoq; iudicem secularem, si auxilium deneget, excommunicare posse, per textum c. 1. ext. de offic. iudic. ord. & Dd. in c. quoniam. extr. de offic. iud. & c. statuimus, extr. de malef. Vna enim iurisdictio per aliam adiuuanda est: ob id etiam iudex Ecclesiasticus, seculari iudici postulante necessitate, contra clericum contumacem, officium suum impartiri debet, d. c. 1. c. quo-

ē. quoniam, &, c. statuimus. Quando autē brachium seculare contra clericos inuocari possit, vide c. princeps, 23. q. 5. &, c. perpendimus, extr. de sent. excom. & de modo procedendi, Panor. in d. c. 1. ext. de offic. iud. ord.

In Camera quando iudex Ecclesiasticus implorat brachium seculare: hoc est Cæsaris, contra partem victam & contumacem, mandata executorialia, sine clausula, sub pecuniaria, rarō banni, pœna, decernuntur. Et propter annexam citationem, ad docendum de partitione, legitimæ exceptiones, contra inuocationem brachij & obtehta mandata executorialia in termino reproductionis admittuntur, præsertim litispendentiæ, & nullitatis, videlicet, à sententia iudicis Ecclesiastici. Cuius executio petitur, ritè & debito tempore appellatum, & proinde pendente appellatione, nihil innouandum esse, vel per Ecclesiasticum iudicem nulliter processum & iudicatum. De qua nullitate, iudex secularis, antequam ad pœnam procedat, primùm cognoscere debet, vt docet Panor. in d. c. 1. ext. de offic. iud. ord. num. 10.

Quæ Cognata?

Transactio, iusiurandum: quæ non minorem auctoritatem, quàm res iudicatæ habent, l. non minorem, C. de transact. & l. 2. ff. de iureiur. Differunt tamen, vt per Alciatum, in d. l. non minorem.

Quæ Pugnantiæ?

Omnes exceptiones peremptoriæ, quæ post

G g

fen.

sententiam contra executionem obijci possunt, de quib. Specul. tit. de excep. & replicat. §. dicto, nū. 14. Vbi nouem recenset casus, in quibus exceptio peremptoria executionem remoratur, pugnant etiam nullitas & iniquitas velata sententia. Quia iniquitas manifesta ipso iure nullam reddit sententiam, c. inter cæteras, ext. eod. & modi quibus sententia, ob iniquitatem rescinditur nō autem ob nullitatem, quia quod nullum est, rescissione non indiget, l. 1. ff. quando prouo. nō est necesse.

Qui sunt modi rescindendæ Sententiæ iniquæ?

Primò, Appellatio. 2. Restitutio in integrum. 3. Supplicatio contra sententiam. 4. Querela falsi, Innoc. & Hostiens. in c. præsentia, ext. de renunc. c. sicut, eod. c. cum ad sedem, extr. de restitut. spoliat.

Quibus committitur nullitas Sententiæ?

Primò, ratione personæ iudicantis. Vt puta, quia non fuit competens iudex, vel excommunicatus, seruus, vel mulier, l. 1. C. de arb. l. cum præter, ff. de iud. adeò, vt etiam hæc sententia ab iudicibus confirmari non possit, vt sententia, l. si expressim, ff. de appellat. Si tamen confirmatur, ratione pacti, efficaciam obtinebit, vt traditur in l. 2. C. communia vtriusq; iud.

Secundò: si aduersus absentem, non per contumaciam scilicet: denunciationibus ex more nequaquam conuentum sententia proferatur.

regulariter enim partes ad audiendam sententiã diffinitiuã, de iure communi, citari debent, & ferenda sententiã est, partibus verè, vel per interpretationem præsentibus, adeo vsq; adeo nulla est, vt etiã, pro absente parte, non valeat, nec rei iudicatz firmitatem obtineat, l. ea quæ, C. quomodò & quan. iud. & gloss. ibid. in ver. aduersus, Dd. & gloss. in Clem. pastoralis, de re iud. Per interpretationem pars præsens esse dicitur, si sit verè vel fictè contumax, glo. in l. ex consensu, §. fin. ff. de appellat. Tamen si contrarium statuto vel consuetudine obtentũ sit, quòd scilicet, absentibus partibus, procuratore pro ijs in iudicio agente legitime constituto sententiã feratur, sententiã subsistit: nec, ob omissam citationem ad partes, infirmari potest. Citatio enim ad audiendam sententiã, post conclusionem causæ, est iuris positiui, nec defensionem partibus tollit: ideo potest ea iure statuti vel consuetudinis omitti, per tex. in c. in causis, in fin. de re iud. & Iason in l. 1. nu. 8. ff. de constitut. Hinc in iudicio Camere Imperialis, citatio, ad audiendam sententiã, tam in diffinitiuis, q̄ interlocutorijs, non requiritur: verum sufficit, partes semel ad totã causam legitimè & peremptoriè citatas fuisse: quemadmodum etiã mandata procuratorum ibi, ad vnicum actũ non admittuntur, sed ad totã causam exhibenda sunt, proinde facta hincinde conclusione, absq; noua citatione, sententiã in causa principali diffinitiuè, vel super articulo concluso interlocutoriè profertur. Quæ tamè limitatio nõ procedit, si alterutra pars, post conclusionem causæ vitam cum morte cõmutet; eo enim casu hæres eius, nõ quidè ad reassumendam

causam, sed audiendam sententiam, parte hoc petente, & mortē aduersarij in iudicio allegante citatur, id si factum non fit, definitiuè, absq; citatione hæredum pronuntiatur: quia de morte partis iudici constare debet, vt iudici, hoc est, ex allegatione iudiciali, Guid. decis. 86. nu. 2. Quando verò post publicatā demum sententiā mors partis in iudicio allegatur, sententiā per interlocutoriam in hæredes transfertur. Quòd si ante conclusionem, in causa altera partiū in fata concedat, tunc, implorato iudicis officio, citatio ad reassumendam causam, in eo statu, in quo relicta est, contra hæredes decernitur; etiam si procurator defuncti, lite iam contestata, domus litis factus sit. Et hæc ita in iudicio Camera Imperialis obseruari, notat Mynsing. obser. 71. citatur. 3. & obser. 85. cēt. 1. & Andreas Geyl lib. 1. obseruat. 100. pract. obser. Ex his omnibus patet, regulam iuris communis esse, Quòd sententiā, presentibus partibus, ijs citatis, vel per contumaciā absentibus, ferenda sit. Quæ regula fallit tribus casibus: 1. Si sententiā interlocutoria in fauorem absentis lata, vel contra eum prolata modi- ci præiudicij sit. quo casu valet sententiā interlocutoria, absq; citatione partis publicata, l. l. à quo, ff. ad Senatuscons. Trebell. Secus, si magni absentis grauamen adferret: quia tunc causa cognitione, & ex consequenti, partis citatione opus foret, l. à procedente, C. de dilat. 2. Fallit, si iure statuti vel consuetudinis contrariū obseruetur, Afflict. decis. 238. 3. Si generalis citatio facta sit per edictum, non tunc debet pronuntiaci definitiuè, nisi præmissa speciali citatione, ad

ad audiendam sententiam, Dd. & Imo. in c. consultuit, ext. de offic. deleg. c. auditis, de procurat. Abb. in c. fin. de dilat. & probatur l. consentaneum, C. quomodò & quando iud. Mynsing. obser. 71. cent. 3.

Tertiò: dicitur sententia nulla, si feratur aduersùs absentem infirmitate detentum, l. quæsitum, ff. de re iud. & ibidem Paulus de Castro. Cæterùm, si iudex ignoraret impedimentum, sicq; ad sententiam procederet, tunc quidem valeret sententia, sed absens restitui, saltem ad appellandum, vel alia causa reponi posset, l. fin. ff. de in integ. restit. Et quod de infirmitatis impedimento dictum est, ad alia omnia impedimenta, quæ in l. 2. §. quod diximus, ff. si quis caut. recensentur, extendi debet. Cuiusmodi sunt, vis hostium, locus pestilentiæ, impetus fluminis, & si q; sunt similia. Sed quid, si Reus alleget, se impeditum, aduersarius autè neget, cui incùbit probatio? Respondetur: probationem præstatione iuramenti, per eum, cui iudex hoc detulit, fieri posse, in deferendo autem iuramento attenditur qualitas personæ, quantitas causæ, an sit magna vel moderata, & aliæ conditiones & circumstantiæ, quæ arbitrio iudicis, vt admittat iuramentum vel non, relinquenda sunt. quod & in Camera Imperiali obseruatum, testatur Mynsing. obser. 57. cent. 4.

Quartò: si contra mortuum lata sit sententia, l. penult. ff. de sentent. quæ appella. rescind. Quid, si pro mortuo lata sit? Et Dd. communiori calculo sententiam etiam pro mortuo prolatam non valere, pariter nec decretum in eius fa-

uorem interpositum, tradunt in l. in summa, §. vlt. ff. de re iud. & ibi Paul. & per tex. in l. qua de re, §. cum absentem, ff. de iud. Vbi dicitur, adeo sententiam non valere, quod nec contra defensorum, nec contra heredem defuncti operabitur. In Camera autem Imperiali sententia pro mortuo lata non est nulla, sed pro firma: contra §. vlt. d. l. in summa, habetur: Et si de morte eius, pro quo lata est, deinde constet, transfertur in ipsius heredes, Myns. obseruat. 85. centur. 1.

Quintò: nullitas sententiæ etiam committitur iure ciuili, si, procuratore in causa existente, contra dominum feratur sententia; iure enim communi sententia in procuratorem necessario ferenda est, quando scilicet iudicium agitur est cum procuratore legitime constituto, ablat. te domino, l. 1. C. de sentent. & interlocutionibus omnium iud. & glos. in c. querelam, extr. de elect. & Inno. & Panor. nu. 50. ibid. Ratio. Quia initium obligationis ex procuratoris personam sumitur, cum eo in iudicio quasi contrahitur, & per litis contestationem dominus litis efficitur, ideoque merito verba sententiæ in personam suam concipi debent, l. 3. §. idem scribit, ff. de procurat. & c. 1. §. 1. extr. eod. in 6. Sed iure Canonico legalis illa subtilitas non attenditur, & sententia concepta etiam in ipsum dominum, tenet, per tex. in c. licet, extr. de procurat. glos. singularis in c. suscitata, in verbo, monasterium, extr. de integ. restit. & plenius per glos. & Ioan. And. in d. querelam, extr. de electionib. Quod & in Camera Imperiali supremo iudicio obseruatur. Quia ibi causæ aliter non agitantur, quàm per procuratores, &

& tamen sententiæ concipiuntur in personam domini, indistinctè, siue dominus nunq̄ in iudicio præsens fuisset, siue initio litis comparuisset, litemq; contestatus esset, tradit. And. Geyl, in suis pract. obseruat. obser. 111. lib. 1.

Sextò: nulla dicitur sententia, si feratur, post lapsum instantiæ. Labitur autem instantia, de iure ciuili, in causis ciuilibus trienio, & in criminalibus biennio, tex. est in l. properadum, C. de iud. & ibi Dd. De iure aut Canonum instantia trienio vel biennio, sub distinctione, posita non perit, sed perpetuò durat, per tex. in c. venerabilis, & c. vltim. extr. de iud. Abb. & Dd. ibidem, & Bal. conf. 217. vol. 3. vbi allegat authen. sed lis, C. de tempo. appellat. Quod & in consistorio Imperialis Cameræ approbatur, licet Matth. de afflict. decis. 283. post num. 4. contrarium referat, velitq; dispositionem d. l. properandum, habere etiam locum in consistorio Principis, per gloss. in nouel. vt spons. larg. §. hoc quoq; & nouel. de appellat. §. ad hæc. Cuius tamen opinionem Camera, vsusq; fori frequens non admittit, & c. vt notat Myns. obser. 48. centur. 2.

Septimò: si sententia feratur, post propositam suspecti iudicis recusationem: vt habetur in c. suspicionis, ext. de off. delegat. & traditur de hoc inf. de recusatationibus.

Octauò: si sententia fit lata, in causa, in qua interuenit falsus procurator, c. in nostra præsentia, extr. de procur. Sed an dominus per falsum procuratorem gesta rata habere possit? Et regulariter per dominum talia gesta, siue in commodum, siue in præiudicium suum, ratificari posse, tradit

Bal. in l. licet, C. de procurat. & in addit. ad de-
cis. cap. Tholos. 221. Licet in auditorio principis
facta per falsum procuratorem, ratificatione nō
conualescant, iuxta Bal. l. ni falsus procurator,
vers. secundò præmitte, C. de fur. & ser. corrup.
Mynsing. obseruat. 44. cent. 1.

Nonò: si feratur sententia super alio, quàm
quod fuerit petitem, c. in nostra præsentia, ext.
de procurat. Sententia enim debet conformis
esse libello: nec aliud continere, quàm fuerit
petitem, l. vt fundus, ff. communi diuid. Multa
tamen sunt factorum species, in quibus tolera-
tur libelli, siue petitionis, & sententiæ discrepan-
tia. Primùm enim Princeps & Summus Pōm̄
in sententijs suis petitionem litigantium egredi
possunt, c. 2. ext. de restit. spoliat. lib. 6. Deinceps
criminalibus conclusione opus nō est: & si con-
clusio fiat, adhuc tamen iudex, cognita qualitate
delicti & personarū, plus minusq; condemnan-
di liberam potestatem habet, Bart. in l. quid e-
go, §. pœna, ff. de his qui not. infam. Deniq; po-
test iudex, & in ciuilibus causis, quo ad qualita-
tes, tempora, modos, loca, nō sequi petitionem
libelli. Quare eleganter Bald², sufficere ait, si sen-
tentia cum libello conueniat in re, causa, & con-
one, l. 1. C. si plures vna sent. & c.

Decimò: si sententia pronuncietur contra so-
litum ordinem iudiciorum: Vtpotè, non obli-
to libello, nec lite contestata, nec alijs solennita-
tibus obseruatis, l. prolatā, C. de sentent. & inter-
loc. Princeps tamen potest habere ratū proces-
sum, ratione ordinis omis̄si, quādo merita sunt
benè tractata, iuxta Panor. in c. cūm olim, ext. de
re iud.

re iudic. & c. ad petit. extr. de accusat. Et consuetudine potest etiam induci, vt per simplicem facti narrationem, ac responfionem inducatur litis contestatio, idem Panor. in c. in causis, extr. de re iud. & testatur Guid. pap. decis. 369. & traditur in ordinat. Cameræ, part. 3. tit. 34.

Vndecimò: si lata fit tempore nocturno, c. cōsuluit, ext. de off. iud. deleg.

Duodecimò: si sententia non contineat expressam condemnationem, vel absolutionem, vel æquipollens, l. quid tamen, §. Pomponius, ff. de arb. Vel si non contineat certam quantitatem, vel rem, in qua condemnatio fit per se, vel per relationem ad aliud, l. ait prætor, ff. de re iud.

Decimotertiò: si fit lata contra ius scriptum expresso errore in sententia, l. 2. C. quando prouoca. non est necesse. Potest tamen iudex, ex magna & euidenti causa transgredi leges & statuta, nec tenetur illam causam in sententia exprimere, dummodò ex actis adparere possit, eam iustā fuisse, quæ iudicem, ad sic pronuntiandum, mouerit: aliàs sententia possit nullitatis argui, tanquam lata contra ius constitutionis, & per expressum iuris errorem, per l. 1. ff. quæ senten. sine appellat. rescind. & Panorm. in c. super his, extr. de accusat. & tradit Mynsing. obseruat. 54. centu. 2. & obser. 32. cent. 4.

Decimoquartò: sententia dicitur nulla, si venalis feratur à iudice corrupto, l. venales, C. quando prouocare non est necesse. His igitur nullitatum alijsq; peremptorijs exceptionibus, quæ iuxta opinionem Speculat. post sententiam, ad impediendam executionem, obijci possunt, op-

positis; sententia non transit in rem iudicatam. An autem in causa executionis super propositis exceptionibus, nouus processus requiratur, hoc est: an opus sit nouo libello, & noua litis contestatione? vide Dd. in l. properandum, C. de iud. Qui communiter distinguunt, vtrum agatur in actione iudicati, siue in factum ex re iudicata, an verò officio iudicis. vt primo casu libello & litis contestatione opus sit, altero verò non, sed per nudum iudicis officium, vt executionem faciatur, exceptionibus non obstantibus, procedi potest, Bart. in l. intra, num. 1. ff. de re iud. & Ang. in repetit. l. 1. C. de iud.

*Qua poena Iudex perperam iudicans puni-
tur? Et quis dicitur, iudican-
do litem suam fa-
cere?*

Si Iudex pretio deprauatus, aut gratia, perperam iudicauerit, non solum tenetur parti laesae in solidum, ad veram litis aestimationem, sed etiam infamia notatur, l. filiusfamilias, ff. de iudic. & leg. fin. C. de poena iudic. male iudic. At si iudex perperam iudicat, per imprudentiam, videtur quasi ex maleficio teneri in factum actionem, sed in quantum de ea re æquum religioni iudicantis visum fuerit, poenam subueniet, l. fin. ff. de varijs & extraord. cog. Sic que non in solidum veram litis aestimationem præstabit. Et iudex, qui per dolum male iudicauit,

dicavit, non tantum facit litem suam, sed etiam tenetur lege Cornelia, de fal. Iudex vero litem suam facere videtur, quum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo autem malo hoc facere intelligitur, si evidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, ut veram aestimationem litis prestare cogatur, d. l. filiusfamilias, ff. de iudic. Recentiore quoque iure Nouellarum cauetur, iudicem pretio, aut promissione iudicantem, si causa sit civilis, condemnari in triplum dati, & in duplum promissi, amissa, in qua constitutus est, dignitate. Si vero sit criminalis, confiscatis omnibus bonis, in exilium mitti, in authen. ut litigan. iu. in exordin. titu. coll. ix. §. si quis autem. Iure autem Canonico, qui in gravamen partis alterius in iudicio aliquid iniuste fecerit, per gratiam, vel per sordes, siue Ordinarius siue Delegatus sit, ab executione officij per annum suspenditur, c. cupientes, §. ceterum, de elect. in 6. c. 2. distinct. 55. & c. quaesivit, extr. de verbor. signif. & ad aestimationem litis parti, quam laeserit, nihilominus condemnatur. Quod si, suspensione durante, diuinis se ingesserit, irregularitatem incurrit, qua non, nisi per Pontificem liberari poterit, alijsque poenis coercetur. Quia non tantum male iudicando contra debitum officium facit, verumetiam, DEVM, iustitiam, & humanam naturam laedit, cap. 1. extra, de crimin. fal. & c. ad Apostolicam, eodem titulo in 6. Denique lege

duo.

duodecim tabularum capite multabatur, iudex arbitere iure datus, qui, ob rem dicendam pecuniam accepisse conuincebatur. Cuius meminuit Gellius, lib. 20. noct. attica. cap. 1. De poena iudicis per sordes corrupti iudicantis ita distinguit Menoch, lib. 2. cent. 4. casu 342. inquit iudex, qui corruptus per sordes iudicauit, si causa criminali, pro grauitate causæ, etiam que ad mortem, iudicis arbitrio, punitur: confiscantur etiam eius bona, notatur infamia, & dignitate, nobilitateque priuatur, si verò in causa ciuili iudicauit, si rectè, solùm tenetur restituere, quod accepit, l. 2. §. vltim. ff. de cond. ob turp. causam: si verò iniquè, litis æstimationem lesio soluit, l. filiusfamiliars, §. vltim. ff. de iud. & l. vltim. C. de pœna iud. qui malè iud. Erga fiscum verò in triplum condemnatur, d. auth. nouo iure, C. de pœna iud. &c. Et alia etiam pœna iudicantis arbitrio punitur, institut. de obligat. quasi delicto.

AXIOMATA ET SENTENTIAE

Iudex Ecclesiasticus, pro executione sua sententiae, brachium seculare inuocare, adeoque iudicem secularem, si auxilium petatum deneget, excommunicari potest, c. 1. extr. de offi. iudic. ord. & c. statuimus, extra. maled.

Vna iurisdictio per aliam adiuuanda est, c. quomodo extr. de off. iud. ord.

Iudex Ecclesiasticus, seculari iudici, postulante, non

cessitate, contra clericum contumacem, officium suum impertiri debet, glos. in c. 1. extr. de off. iud. ord.

Implorato brachio seculari, iudex secularis primum de nullitatis exceptione obiecta cognoscere debet, antequam ad pœnam procedat, Panorm. in d. c. 1. extr. de off. iud. ord.

Omnis exceptio, quæ post sententiam, sed non contra sententiam opponitur: hoc est, quæ non repugnat sententia, executionem impedire poterit, l. 1. C. de re iudic.

De iure communi sententia in procuratorem necessario ferenda est: quando, videlicet, iudicium agitatum est cum procuratore legitime constituto, absente domino, glos. in c. querelam, extr. de elect. Ratio est. Quia initium obligationis ex procuratoris persona sumitur, cum eo in iudicio quasi contrahitur, ipseque per litis contestationem dominus litis efficitur, ideoque merito verba sententiæ in personam suam concipi debent, c. 1. §. 1. eod. tit. in 6.

Quamvis sententia indiuidua sit, ita ut pro parte valere nequeat tamen iudex sententiam separabilia & diuersa continentem capitula, partim confirmare, partim reformare potest, etiamsi hoc à parte nec allegatum, nec petitum sit, c. Raynutius & c. Raynaldus, extr. de testa.

Tot censentur esse sententiæ, quot sunt capitula & diuersa species, Felin. in c. cum Iohannes, extr. de fide instrum.

Quando libellus vnum factum, quod separationem non recipit, continet, tunc sententiæ, super illo facto lata, refor-

refor-

reformari non poterit, sed in totum aut confirmari, et retractari debet; cum sit individua: secus si plura facta vel plura capitula libellus contineat, Panor. in d. c. Regius, extr. de testa.

Quando sententia, à qua reformatur, expensa compensantur, eò quòd uterq; victus & victor sit, Innoc. in c. finem litibus, ext. de dolo & contuma.

In causa matrimoniali & criminali sententia recurrit in principalem, & non in procuratorem, ferenda est gloss. in c. querelam, ex de elect.

Duobus iudicibus diuersas sententias proferentibus, si ex iurisdictione ordinaria processerint, tenet pro Actore sententia: nisi in causa fauorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata: si verò ex delegata potestate, utraq; pendet sententia ex arbitrio delegantis. Quòd si ex compromisso, neutra debet habere vigorem, c. fin. ext. eod.

Quamuis regulariter alijs non noceat, res inter iudicata, ei tamen, qui cum sibi primùm de eare actum vel defensionem competebat, sustinuit sequentem agere, actionem qui passus est, cum à quo causam habuit, expeditur præiudicium generatum, c. quamuis, ext. eod.

Secunda sententia in diuersa instantia commissa lata tenet mero iure, nec debet infringi, etiam si sit retractata, ex quo ab ea non fuerit appellatum, c. inter menturum, extr. eod.

Si citatus ad sententiam, ex legitima causa iudicio ignota, non comparuit, tenet sententia, eo absente, lata retractatur, eo probante legitimam absentiam causam, cum Bertholdus, extr. eod.

Ab executione sententia non appellatur, nisi in executione modus excedatur, c. quod ad cōsultationē, ext. eod.

Quadrimestre tempus, quod à lege datur condemnatis in actione personali, potest à iudice, ex causa arctari, & spontè arctatum terminum recipiens, non potest post decendum appellare, d. c. quod ad consultationem, eod.

Si sententia precipit aliquid fieri ad certum terminum, tempus decendij ad appellandum currit à tempore sententia, non aut à die finiti termini, d. c. quod ad, & c.

Valet sententia contra ius litigatoris lata, si ab ea non fuerit appellatum, c. cum inter, extr. eod.

Sententia iniqua, retractatur per Superiorem, licet causa fuerit appellata remota commissa: si autem continet manifestam iniquitatem, est nulla, c. cum inter, extr. eod.

Sententia lata contra matrimonium nunquam trāsit in rem iudicatam: vnde quandocumq; reuocatur, cum cōstat de errore, c. lator, extr. eod.

DE APPELLATIONIBVS, Recusationibus & Relationibus.

Titulus XXVIII.

Continuatio.

Nei quo iudicio, per imperitiam, aut etiam malitiam iudicis, ius suum cuiquam per iniuriam eripiatur, inuentum est appellationis beneficium: quo ad superiorem magistratum, causa iterum

cognoscenda, intra decem dies, defertur.

Quid est Appellatio?

Appellatio, secundum Azonem, est, à minore iudice, per inuocationem maioris iudicis, pro textu iniquitatis primæ latæ sententiæ, recessu l. præfecti, ff. de minorib.

Quotuplex Appellatio?

Duplex, iudicialis & extraiudicialis, Iudicialis est, quæ, à sententia in iudicio pronuntiata, fieri contingit. Extraiudicialis autè dicitur, quæ non à sententia, sed ab actibus & decretis extraiudicialibus, interponitur, l. 1. §. solent, ff. quando appellat.

Quæ causa Efficiens?

Est ius gentium. Nam ad hoc, quòd totus processus iudiciarius ex iure gentium originem habuisse dicitur; vt notant Dd. in l. ex hoc iure, ff. de iustitia & iure; testatur etiam Ulpianus in l. ff. eod. appellationem antiquissimo usu esse introductam, eumque usum esse frequentem, & ad corrigendam iudicantium iniquitatem, & imperitiam, necessarium. Propinqua causa est, quæuis persona, quæ in iudicio per iudicem grauatur, nec appellare prohibetur. Omnis enim, per iniquam sententiam iudicis oppressus, seu iniuste grauatus, quicumque sit, appellandi habet facultatem, c. omnis oppressus, 2. quæst. 6. c. vt debitus honor, extr. eod. Siue is, qui condemnatur, principalis litigator sit, siue non: dummodò interfit eius, sententiam retractari, vel e-

mandatum fit, vel is alienum negotium gerat, c. non solet, 2. quæst. 6. c. cùm inter, extr. de elect. Vnde, procurator, tutor, fideiussor, legatarius, & venditor qui de euictione tenetur, appellare non prohibentur, l. tutor, l. ab executione, ff. eod. & Speculat. in §. quis possit, eod. titu. An autem tertius, pro suo interesse, appellare possit à sententia inter alios lata? Et, ad explicationem huius quæstionis, tres casus distinguendos putat Andr. Geyl, in suis pract. obseruat. obser. 122. Primus: si ab alio interpositam appellationem prosequi velit; & tunc admittendus est ad prosecutionem, etiam si ipse non appellauerit, l. à sententia, §. idem rescripsit, ff. de appellat. c. cùm super, extr. de offic. deleg. Panorm. in c. cùm super, nu. 4. & num. 27. extr. de re iud. Ratio. Quia, per appellationem principalis, iam suspensa est sententia, & omnibus, quibus grauamen illatum est, via aperta: ita vt non sit opus alia appellatione, Bald. in §. hodiè, num. 6. C. de appellat. Secundus: si alterius appellationi, pro suo interesse, adhærere velit: quo casu necesse est, vt intra decendum ratam habeat appellationem per alium interpositam: appellare quidem intra decendum non tenetur interueniens, sed tamen, intra illud tempus alterius appellationi adhærere, & interpositam appellationem ratam habere debet, c. vt circa, de elect. in 6. & text. in c. non solet, 2. quæst. 6. Tertius casus est, si ipse, pro suo interesse, à sententia contra principalem lata, principaliter appellet: & tunc requiritur, vt non tantùm intra decendum appellationem interpo-

H h nat,

nat, sed etiam nuncupatim grauamina, & causas exprimat, cur sua interfit, appellare à tali sententia. idq; procedit, etiamsi à diffinitiuâ contra alium lata appelletur: tametsi aliàs in appellatione à diffinitiuâ, causæ expressio necessaria non fit. Ratio differentiæ est. Quia, ubi appellatio interponitur contra regulas iuris, propter præsumptionem doli, non aliter admittenda est, quàm si expressa causa iustificetur: sed appellatio tertij fit contra regulas iuris, quia regulariter non licet appellare à sententia inter alios lata, ergo admitti non debet, nisi expressa causa, per text. in d. c. non solet, c. cum super, numer. 5. Felin. ibid. num. 1. & Innocentius in c. veniens, extrà, de testibus. An autem victoria tertij, appellantis pro suo interesse, proficit principali iam antea victo? Dicendum regulariter, quòd sic, per l. 1. & l. 2. C. si vnus ex pluribus, & c. vna sententia, extr. de appellat.

Ex his patet, appellationem domini, siue, vel principaliter, vel in consequentiam & ab quo modo interfit, recipi, prodesseque subditis, contra quos principaliter actum fuit, etiam non appellantis: potissimum, si subditi à domini priuilegijs noluerint se separari. Hoc enim certum est, quòd vnus appellatio proficit alijs appellantis, quando videlicet causa est communis, & vna eademq; omnium defensio, totu. C. si vnus ex pluribus, l. si qui separatim, ff. de appellat. & notat Andr. Geyl obseruat. in pract. obseruat. prohibetur autem appellare eod.

contumax, ex vera enim contumacia oritur duplex exceptio, scilicet declinatoria, & peremptoria: quas appellatus contumaci obijcere potest, vt pulchrè tradit Bald. in l. diffamari, C. de inge. manu, num. 7. cum gloss. in Clemen. vnica, de dolo & contum. prohibentur etiam, homicida, veneficus, adulter, manifestam violentiam inferens, insignis latro, concitator seditionis, dux factionis, raptor virginum, si sint argumentis superati, testibus conuicti, &c. Et alij, quos notat Speculat. lib. 2. par. 3. §. quis possit, hoc titulo.

Quæ Materia?

Quoduis grauamen, tam in causa ciuili, quàm criminali. In criminalibus quidem, non tantùm condemnatus de crimine capitali, sed etiam quilibet extraneus, etiam inuito condemnato, admittitur ad appellandum, pro eo, per text. in l. non tantùm, ff. eod. & l. eos. §. super his, C. eod. Et hoc ratione humanitatis, cùm sit proximus: quia consors naturæ, c. charitas est, distinct. 2. de pœnitent. Excipiuntur casus in l. 2. & l. ad dictos, C. de appellat. recip. Quotiens enim lex in facinorosos, ob manifesti criminis atrocitatem, statim sententiam exequendam præcipit, toties appellationis beneficium denegatur, c. ei qui, §. sunt etiam, extr. eodem. Inueterata tamen per Germaniam consuetudine receptum est, in causis criminalibus illicitas esse appellationes: quam consuetudinem approbat etiam ordinatio Camerae, part. 2. titul. 28. expressè

prohibens, ne recipiantur causę criminales
 viam appellationis in Camera. Excipiuntur
 duo casus. Primò: nisi ex commutatione
 per gratiam facta, multa successit, in locum
 nę corporalis, à qua appelletur. Nam à
 appellari posse, crebriori calculo obtinuit,
 dit Mynsing. obseruat. 43. centur. 3. & obseruat.
 41. centur. 4. Secundò: nisi super nullitate
 criminalis agatur. Si enim in criminali causa
 principaliter à nullitate processus appellatur,
 que docere velit; vt quia non citatus, & in
 fus condemnatus, vel aliàs contra naturam
 tionem & æquitatem, aduersus ipsum
 sum fuerit, aut iudicatum; id ipsi pen
 dum est. Quod in reo accusato, vel in
 non etiam in accusatore, qui putet, accus
 null iter absolutum fuisse, procedit. Nisi
 ipsi ex processu vel sententia poena
 & corporalis immineret, notat. Mynsing.
 feruat. 42. centur. 4. Proinde in ciuilibus
 sis iure ciuili tantum à sententia diffini
 quæ post litis contestationem fertur, ap
 tio conceditur: non autem ab interlo
 ria; nisi vim habeat diffinitiuæ, vel tale
 men contineat, quod per appellationem
 nitiua reparari non possit, l. ante diffini
 C. quorum appellat. non recip. & Bartol.
 post sententiam, C. de senten. & interlocu
 prolixè in l. ante sententiam, num. 12. & num.
 ff. de appel. recip. Vbi tradit hanc regulam,
 quando per appellationem à diffinitiuâ non
 selt reparari grauamen perfectè, quin alle

præiudicium faciat, quòd tunc possit ab omni interlocutoria appellari, quod & vsus fori, & Camera ordinatio approbat, par. 2. titu. 29. §. 4. & titu. 28. §. fin. Mynsing. obseruat. 43. centur. 4. Et latius, quæ sint interlocutoria, à quibus appellatio conceditur? vide Bartol. in d. l. ante sententiam, & Guid. pap. decis. 75. cum Philip. Franc. in c. cum cessante, extr. de appellat. Sententiæ autem vim diffinitiuæ habentes, quomodò ab alijs discernantur, regulentur, & cognoscantur? vide Felin. in rub. extr. de re iudic. Hæ enim, non solum quo ad formam & effectum interponendæ appellationis, sed etiam, quo ad alios iuris effectus, veræ diffinitiuæ, per omnia, æquiparantur. Tales sunt: sententia competentia, absolutionis ab instantia, vel obseruatione iudicij, desertionis, reuocationis, attentatorum, de procedendo, vel non procedendo in causa, item, exceptionem peremptoriam obstare, vel non, probatum esse, vel non: & si quæ sunt similes. Licet enim sequatur & speretur aliquando aliqua diffinitiuæ: tamen hæ feruntur super eo, in quo pendet victoria causæ; differunt enim vel parant præiudicium super toto negotio, vel super aliquo fundamento principali & substantiali ipsius negotij, Mynsing. obseruat. 88. cent. 3. explicat etiam And. Geyl. obser. 130. lib. 1. pract. obseruat.

Denique, de iure Canonico à quolibet grauamine, & omni interlocutoria sententia, per quã alteruter litigatorum grauatur, etiam ante litis contestationem appellare permittitur, c. super eo, eod. Felin. ad rub. extr. de sentent. & re iudic.

486 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
num. 1. c. 1. & c. cum Romana, extr. eod. & c. non
ita, 2. q. 6. Quod tamen (vt dictum est) vsus fore,
ad obuiandum multorum malitijs & calumnijs
non probauit.

*Quæ Forma interponenda Appel-
lationis?*

Regularitèr, ab inferiore ad superiorem iu-
dicem, gradatim, nullo omisso medio, insti-
tuitur appellatio. Et hoc quidem, si sententia defi-
nitiva fuerit, à qua appellatur incontinenti, &
pud acta illius iudicis, à quo prouocatur, viva
voce, per verbum, Appello: ex interuallo vero,
vel in scriptis, intra decendium, c. ex parte, extr.
eod. Si autem interlocutoria, tantùm in scriptis,
grauaminibus nuncupatim insertis, intra decem
dies, à tempore latæ sententiæ computandos, c.
significauerunt, extr. de re iud. c. quod ad consi-
tationem, extr. de confir. vtili & inutili, c. bona
& c. anteriorum, 2. q. 6.

Iustificantur autem appellationum forma-
lia, ex requisitis appellationum. Requiritur
ad formam appellationis primò: Vt appellatio
gradatim fiat, non omisso medio: & hoc præsertim
iure ciuili, l. Imperatores, ff. de appellat. quod &
in terris imperij obseruatur, Ordinat. part.
titul. 29. §. 1. Non autem iure Canonico. volumus
enim Canones ad Summum Pontificem, omni-
bus medijs, posse appellari, c. Metropolitanam,
2. quæst. 7. & Imol. in d. l. Imperatores, c. ad Ro-
manam, 2. quæst. 6. & c. si duobus, extr. eodem.

Rationem illam assignant. Quia Pontifex est Ordinarius singulorum, c. cum nobis, extr. de elect. Imperator autem, qui, licet dominus mundi sit, l. deprecatio, ff. ad l. Rhod. de iact. & omnes prouinciæ sub eo sint, c. Adrianus, 63. distin. & omnes nationes, c. hoc si quis, 11. quæstio. 1. & omnes Principes, c. in apibus, 7. quæst. 1. excepto Rege Franciæ, c. per venerabilem, extr. qui filij sint leg. & omnia in eius potestate sint sita, c. quo iure, 8. distinct. & c. futuram, 12. quæstio. 1. non tamen patitur in præiudicium inferiorum Ordinariorum, & in damnum, & laborem inæstimabilem litigatorum, ad se, omissis medijs, appellari. Quod si fiat remittit appellantem ad iudicem competentem, l. Imperatores, ff. eodem. Licet enim Princeps legibus non adstringatur, viuere tamen secundum legem debet, c. propofuit, extr. de concess. præbend. tunc enim iura sua seruantur, quando ipse illis reuerentiam exhibet, c. iustum, distinct. 9. Duo tamen casus excipiuntur, quibus, omisso medio, ad Superiorem appellatio institui, iure ciuili permittitur. Primò: Si intermedius iudex palam & euidenter denegasset iustitiam, Mynsing. obseruat. 55. centu. 3. Secundò: Si medius iudex, ratione suspicionis ex communicationis, vel alterius cuiusdam impedimenti, sit inhabilis, Abb. & alij in c. dilecti, extr. de appell. Quod etiam probat Ordinatio Cameræ in 2. part. tit. 29. in princip. & notat Mynsing. obseruat. 66. centur. 1. His casibus exceptis, si ab ordinario iudice appelletur, appellatio

gradatim facienda est : nisi quòd Canones ad Papam, omisis medijs, appellari velint. Quid à Delegato appelletur? Et distinguitur. Aut delegatus est ad vniuersitatem causarum, vt est vicarius Episcopi, & Officialis, qui ordinarius censetur, tunc appellatur ad Archiepiscopum, ad quem ab Episcopo appellatur : quia vnum eodem consistorium censetur Officialis & Episcopi, c. Romana, extr. eod. Vel ad vnam causam, que aut à Principe, & tunc ad ipsum Principem appellatur, c. super quæstionum, extr. de offi. deleg. aut ab alio inferiore ordinario: & tunc etiam ad eundem ordinarium appellandum, c. cur speciali, extr. eod. Si verò à subdelegato Principis, putà, cum delegatus Principis subdelegatus subdistingue. Nam talis aut subdelegauit eam causam, & tunc tantum ad Principem appellatur. Aut aliquid de iurisdictione sibi retinuit: tunc, vel est remota appellatio in rescripto, tunc potest appellari ad Pontificem, sed ad Deputatum tantum, qui eum subdelegauit: & si fructu appellatio, non valebit, imò remittetur ad Deputatum. & est speciale hoc casu, vt, omisis medijs ad Papam appellari non possit, Specul. in summo tractemus, num. 3. hoc rit. si verò non sit remota appellatio, cõmuniter tenetur, quòd ad Deputatum, vel ad Papam, omisso delegato, appelletur. Speculat. d. loco.

Et sciendum, quòd à sententia Commissariorum Cæsaris, vigore ordinationis, part. 1. tit. 6. immediatè ad Cameram appellari possit. Non autem hoc obtinet in Commissarijs, qui ad instantiam partium, etiam priuatorum ho-

minum, per meram delegationem à Cæsare
 dati sunt: hic enim casus in ordinatione non est
 expressus: igitur dispositioni iuris communis
 relinquitur, l. si cum dotem, ff. sol. matrim. Iu-
 ris autem est, quod à Delegato ad delegantem,
 vel eius successorem, in officio, appellandum
 sit, l. Papinianus, §. hæc si appellatio, C. de ap-
 pellant. Salicetus, num. 4. l. vnica, C. qui pro sua
 iurisdic. & c. super quæstionum, §. porro, & §.
 fin. cum glos. ibidem, extr. de offi. deleg. Tali igitur
 casu appellatio ad Imperatorem, tanquam
 delegantem, deuoluitur, Andr. Geyl, obseruat.
 121. lib. 1. pract. obseruat.

Secundò requiritur, vt, si appellatio à senten-
 tia diffinitiuâ interponatur, viua voce inconti-
 nenti, vel intra decem dies, absque vlla necessi-
 tate exprimendæ iustæ causæ in scriptis: Si verò
 ab interlocutoria, intra decendum in scriptis,
 grauaminibus nuncupatim insertis, appelletur,
 l. 2. ff. eod. Bart. & Ang. in l. litigatoribus, C. eod.
 Diuersitatis ratio est. Quia, ab interlocutorijs,
 iure ciuili non appellatur, nisi iusta appellandi
 causa subsit, quæ in instrumento appellationis
 per Notarium confecto in specie exprimi debet,
 vt iudex ad quem, statim dignoscere possit, iu-
 sta nec ne? sit appellatio interposita, c. cordi no-
 bis, de appell. in 6. Clem. appellanti, eod. tit. Hu-
 ius ratio est. Quia in interlocutorijs appellatio
 ex prioribus, siue iisdem actis, vel causis iustifi-
 cari debet, glos. in c. cum in ecclesia, & c. vt debi-
 tus, ext. eod. Regula enim & beneficium l. per
 hanc, ff. de temp. appell. scilicet: Non deducta
 deducam: non probata probabo; non habet lo-

490 ANALYS. IURIS PONTIFICII
cum in simplici interlocutoria, d. c. cordi, & Bar-
tol. in d. l. per hanc. Appellatio autem à diffinitiu-
ua, ex alijs etiam, quàm quæ instrumento infer-
ta sunt, argumentis, rectè approbatur, Bart. in
l. si mater, §. fin. ff. de execut. rei iud. Quod
tamen consuetudine receptum sit, vt viua vo-
ce ab interlocutoria appellari possit, hæc, quæ
si iuri ciuili consentanea, valet, Angel. consil.
267. Est enim sollemnitas appellandi iuris pon-
tificii. ac proinde contrario iure, putà consue-
tudine, vel statuto tolli potest, quod etiam Ca-
mera approbat, tradit Andr. Geyl, obser. 110.
lib. 1. pract. obser. Sed, an interlocutoria
diffinitiuæ habens, diffinitiuam, vel interlocu-
toriam simplicem irreparabile damnum con-
tinentem, in hoc sequatur? Et suprà traditum
est, ipsam non tantùm quò ad formam, sed et-
iam, quò ad iuris effectus diffinitiuè compari-
ri: paria enim sunt, diffinitiuam sententiam
esse, & habere vim diffinitiuæ, gloss. in c. de
elect. in 6. & Alex. consil. 182. num. 1. volum.
6. Quemadmodùm igitur à diffinitiuâ incon-
tinenti, viua voce, ex interuallo verò in scri-
ptis, sine expressione grauaminum, appellari de-
bet: ita quoque, ab interlocutoria vim diffini-
tiuæ habente, appellari potest, tradit. Franc. in
d. c. non solùm, num. 3. & d. c. vt debitus, num. 1.
& ordinat. Par. 2. tit. 29. §. 3. Præterea, sicut diffi-
nitua reuocari non potest: ita nec interlocuto-
ria habens vim diffinitiuæ, ita gloss. in d. c. fin. de
elect. in 6. & c.

Requiritur igitur tertid, vt si ab interlocu-
toria simplici appelle tur, instrumento appellatio-
nis

nis iusta causa 'grauaminis, vel illati, vel comi-
nati exprimatur, c. vt debitus, & c. interposita,
extr. eod. Nam ad iustificandam appellationem
huiusmodi grauaminis deductio iure ciuili fie-
ri debet, quod in diffinitiuâ reparari non pos-
sit, iuxta l. ante sententiâ, vbi Salicet. & Dd. C.
quando appell. non recip. Licet Canones in gra-
uamine multum non discernant, cum à quouis
appellari possit, c. 1. & c. cum sit Romana, extr. eo.

Quartum requisitum est, vt appellationis in-
strumentum per publicum Notarium recte sit confe-
ctum. Cuius rectitudo consistit in forma & ma-
teria. Forma instrumenti appellationis est, vt
contineat nomen eius, qui appellat, nomen eo-
rum, aduersus quos appellatur, & nomen iu-
dicis ad quem: denique à qua cuiusve iudicis
sententia, l. 1. ff. eod. Materia consideratur in
deductione grauaminis, vel simpliciter inter-
positæ appellationis, quæ schedula appellatio-
nis continetur: debetq; illa schedula instru-
mento Notarij inseri: nec sufficit attestatio
Notarij in instrumento appellationis coram
eo factæ, sine insertione schedulæ, Mynsing.
obseruat. 45. centu. 4. Spectat & hoc ad Mate-
riam ex qua, quod ex constitutione Diui Im-
peratoris Maximiliani I. Anno 1512. in Comi-
tibus Coloniensibus promulgata, instrumenta
Notariorum ex membrana confici debent, non
ex papyro, nisi aliter consuetudine receptum
sit, vt notat Andr. Geyl obseruat. 119. lib. 1.
pract. obserat. & Mynsing. obser. 80. cent. 1. Pa-
nor. in c. cum dilecti, extr. de confirmatione v-
tuli & inutili.

Quin.

Quintò requiritur obseruatio fataliū. Quæ in quadruplici sunt differentia: quædam enim ad interponendam appellationem: quædam ad discedendum à iudice aquo: quædam ad præsentandam appellationē coram iudice ad quem quædam ad prosequendam appellationem, spectant. Fatalia interponendæ appellationis decem dierum à tempore sententiæ latæ computandorum spatio continentur, vniformiter, & nihil hoc tempus decendij locum habet in omni appellatione, siue ab actu iudiciali, siue extraiudiciali interposita sit, per c. cōcertationi antiquæ, eod. lib. 6. Curritq; (etiam non obstante commisso, aut pacto partium,) à tempore latæ sententiæ, facta computatione, de momento ad momentum, auth. hodiè, C. eo. & c. quò ad consultationem, ext. de re iud. Consultum igitur traditur, vt Notarius in instrumento appellationis apponat, non solùm diem, sed etiam horam diei appellationis, ad hoc, vt ritè cognoscant, an decendium effluxum sit. Nam prima dies appellationis nō computatur tota, sed momentum, hora, & punctus, illius diei, qui ad decimum diem eiusdem puncti referri debet. Vnde dicitur re potest, quòd decima dies in vndecimam determinat, Felin. d. c. quò ad consultationem, num. 26. & docet Andr. Geyl obser. 139. lib. 1. pract. obser. Debetq; tempus interpositæ appellationis accuratè notari: quia interposita appellatione præsumitur facta, nisi probetur, nec possit iudex appellationis procedere & inhibere, priusquam de hoc ei fides fiat, in tantum, vt si processerit & sententiam tulerit, non probato appellatione.

lationis interpositæ decendi o, si postea, post decimum diem, appellatum esse, compertum fiat, sententia pronunciata nullius sit momenti. Et est ratio. Quia deficit iurisdictio, propter desertionem, Clem. si appellationem, de appell. & notat Mynsing. obser. 11. cent. 3. Felinus tamen, in d. c. quò ad consultationem, ad hoc, vt currat tempus decendij, duo necessaria esse tradit: 1. Quòd victus sciat, sententiam esse latam. 2. Vt sciat contra se, & ad suum præiudicium, esse prolatam. Est enim illud tempus à principio vtile, & in progressu continuum: vnde non currit, nisi à tempore scientiæ, d. c. concertationi, & d. a. then. hodiè. idq; etiam in hærede appellantis obtinet: quia hæredi non currit tempus interponendæ, vel prosequendæ appellationis, nisi à die notitiæ, siue defunctus appellauerit, siue ante appellationem in fata concesserit, per text. in l. fin. C. si penden. appell. Quæ tamen ita intelligenda sunt, si dominus procuratorem apud acta non habuerit, aliàs procurator apud acta tam ab interlocutoria, quàm diffinitiuâ appellare tenetur, l. inuitus, C. de procurat. & ibi glos. Aut saltem intra decendiũ domino nõ solùm ignorant, sed etiam scienti denunciare debet, sententiam contra ipsum latam, text. in c. non iniuste, extr. de procur. glos. & Panor. ibidem, alterutrum si factum non sit, sententia transit in rem iudicatam, & negligentia procuratoris nocet domino, si sit soluendo: sin minus consulitur ei beneficio restitutionis in integrum, Bald. in l. ab eo, num. 6. C. quomodo & quando, & c. & Andr. Geyl, obser. 45. lib. 1. pract. obser. Fatalia, ad

rece-

recedendum à iudice, a quo consumuntur tri-
 ginta dierū spacio, quo appellans à iudice aquo
 apostolos petere tenetur. Iure enim communi
 non petēs apostolos, intra triginta dies à tempo-
 re latæ sentētię numerandos, appellationem de-
 ferit, c. ab eo, de appell. lib. 6. Bart. in l. eos, §. apo-
 stolos, C. eod. & est tex. in Clem. 2. eod. tit. Sum-
 hi dies continui, per glos. in c. non solum, ven-
 dicendum, de appell. lib. 6. Petendi igitur sum-
 non semel, sed instanter, & sepius, c. quamuis, in
 Clem. de appell. & si iudex eos non det, de dili-
 gentia protestandum est. Quòd si autem appel-
 lans apostolos petere neglexerit, vel in termino
 quem ei iudex eorum accipiendorum constitue-
 tuerit, non comparuerit, appellationi renun-
 ciasse videtur, d. Clem. quamuis, nisi iustum im-
 pedimentum doceatur. Verùm ex nouella ordi-
 natione Camerae Imperialis in 2. par. tit. 30. apo-
 stolorum requisitio prorsus necessaria non est,
 sed relinquitur arbitrio appellatis, num eos pe-
 tere velit, Mynsing. obser. 84. cent. 1. & obser. 100.
 cent. 4. Tempus presentandæ appellationis, ex-
 citur terminus legis vel hominis, in tra quem, si
 pars condemnata, corà iudice ad quem appella-
 tionem non presentet, vel compareat, pro senten-
 tentia transit in rem iudicatam, tex. est in c. per-
 sonas, ext. eo. & glos. in l. presentens, C. de appell. &
 c. sapè, ext. de appel. Et dicitur vel terminus le-
 gis, quia lex, vel statutum, certum presentandæ
 appellationis tempus præscribit, vel hominis,
 quod iudex personæ, causæq; circūstantijs per-
 pèsis statuit: vterq; est eiusdē effectus, nisi quòd
 terminus legis à iudice aquo minui, nò pro-
 gari,

gari, possit, c. ad hęc quoniam, ext. eod. gl. in d. c. cum sit Romana: hominis verò ab ipso iudice a quo intra tempus à se præscriptū rectè prorogatur, Franc. in c. personas, ext. eo. Hoc tamē And. Geyl obser. 140. lib. 1. pract. obser. ita accipiendū putat, vt prorogatio hominis, nō extēdatur, vltra terminū legis, idq; ex ordinatione Camera, quo appellantibus sex menses ad introducendā appellationē conceduntur, perspicuū esse dicit, tit. 30. §. 1. & §. 5. par. 2. Terminus enim ordinatiōnis est legis, seu iuris, quia à lege Imperij statutus, intra illū (si à iudice à quo nō sit breuior assignatus, quod fieri potest) citatio in Camera extrahi, & ante eius finē reproduci debet, id nisi fiat, appellatio deserta efficitur, & super desertione ex officio pronūciatur. Et notandū, quòd huiusmodi fatalia præsentādæ vel introducendæ appellationis, non à die latæ sententiæ, sed à tempore interpositæ appellationis currere incipiant, possintq; cōpromisso, vel expresso partiū cōsensu prorogari, auth. ei qui, C. eod. auth. si tamen, C. de temp. appell. Clem. sicut, eod. & Clem. quamdiū, eod. Deniq; fatalia prosequendę appellationis, sunt anni spaciū de iure cōmuni, & ex iusta & legitima causa bienniū, à tēpore interpositę appellationis numerandū, intra quod, nisi prosequatur appellās appellationē iudicialē, vel extraiudicialē, siue ab interlocutoria, siue diffinitiuā institutā, appellatio pronūciatur deserta, & per remissionem causæ ad iudicē, à quo sentētia prior confirmatur, & legitimū sortitur effectum, auth. ei qui, C. de temp. appell. Notat tamen And. Geyl obser. 141. lib. 1. pract. obser. in iudi-

iudicio Camerae Imperialis regulariter facta
 appellationis prosequenda, propter causarum
 multitudinem, non currere, sed tantum facta
 interponenda & introducenda appellatione
 si tamen huiusmodi tempora prosequenda
 appellationis, coram inferioribus iudicibus
 sint seruata, appellatione in Camera, tanquam
 desertam, non recipi, sed ad iudicem a quo
 executione remitti; iudicari enim in Camera
 secundum ius commune, etiam quod ad solennitates
 coram iudicibus inferioribus non factas:
 tamen ubique ferè locorum in iudiciis
 rum fatalium nulla habeatur ratio.

Sextò: requiritur, ut causa talis sit, quae
 appellationis viam ad Superiorem deuo-
 lit, non ex minimis, in quibus, ob malitiam
 uersarij, & inanem sumptuum faciendorum
 rationem, appellatio prohibetur, arg. c. de
 riorum, 2. quæst. 6. In Camera autem Impe-
 riali appellationes non recipiuntur, si summa
 appellationis sit infra 50. florenos Rhemenis,
 disponente ordinatione, tit. 28. §. 4. par. 1.
 summa postea in Comitibus Spirensibus
 1570. fol. 19. ad 150. florenos extensa
 obtinet in summis priuilegiis, de nouo
 lando, statibus & ciuitatibus concessorum
 appellatio non deuoletur ad Camera, si
 ma non sit priuilegio conformis, d. tit. 2.
 in si. Nec appellatur in causa criminale, ubi
 ctum notorium vertitur, ut notatur in l. 1.
 quorum appellat. non recip. Ratio. Quia
 latio nõ debet esse iniquitatis præsidium, c. 1.
 fit Romana, extr. de appellat. vel si res dilata

appellationis interpositę proprius est, vt iudicium imperitia, & sententię iniquitas corrigatur, licet ipso facto comperiatur, nonnunquam benę latas sententijs per appellationem in peius reformari, vt ait Vlpianus in l. 1. ff. eod.

Qui Effectus?

Primus effectus est. Quod appellatio causam reducit ad tempus litis contestatę. Quare exceptiones peremptorię, quę non ad impediendę litis ingressum, sed in vim peremptoriarũ, post litis contestationem, opponuntur, in causa appellationis rectę proponuntur: non autem illę, quę ante litem contestatam proponi necesse est, vt dilatorię, Alc. in l. 3. C. de eden. eadem ratione, & articulos novos proponere, non tamen prioribus directõ contrarios, probationesquę vt in priori instantia facere, & non allegata allegare, non probata probare licet, Clem. fin. de testi. c. quoniam, extr. vt lite non contest. Articulus enim in prima instantia omissus, in causa appellationis redintegrari, & probari potest; dummodo nouus ille articulus à veteribus dependeat, & talis sit, in quo sententiã, à qua, faceret præiudiciũ, & pareret exceptionẽ rei iudicatę, Bart. & Alb. in l. per hanc, C. de temp. appellat. & Ornat. par. 3. tit. 33. §. 1. & §. 3.

Alter effectus est. Quod, secundum communem Doctorum opinionem, appellatio, quo ad præsentem causę statum, planę extinguat pronunciatum, licet quo ad futurum statum, & litis exitum suspendat tantum, per tex. in l. 1. §. ff. ad S. C. Turpilli. & gloss. in . venientes, extr. de

de iureiurando, Felin. in c. pastoralis, num. 14. extr. de off. deleg. Cùm igitur per appellationē interpositam suspendatur sententia, ea pendente, nihil innouari, sed omnia in eo statu, quo tēpore interpositæ appellationis erant, permanere debent, ita vt si à diffinitiuâ sententia vel interlocutoria vim diffinitiuâ habente appellatū fit, iudex appellationis statim cum citatione inhibitionem decernere possit. Non autem, si ab interlocutoria simplici, appellabili tamen. Et ratio est. Quia ei de veritate grauaminis primū constare oportet, vtrū causa sit deuoluta nec ne? quando enim cognoscit: an appellatio sit recipienda? an causa sit deuoluta? inhibere non debet, Henning. in sua pract. par. 3. tit. 30. Dd. in c. non solūm, & c. Romana, eo, in 6. Quæ ratio cessat, quando à diffinitiuâ, vel interlocutoria diffinitiuâ vim habente appellatur. Quia appellatio à diffinitiuâ, vel interlocutoria vim diffinitiuâ habente (vt in primo effectu dixi) statim deuoluit causam ad iudicē appellationis, & reducit ad eum statum, in quo erat causa principalis, post litis contestationem, per text. in l. ita demum, & ibidem Bart. & Bald. C. de procur. Marant. distinct. 6. num. 16. An autem iudex appellationis innouata ante inhibitionem reuocare possit? Et pari ferè distinctione explicat hanc questionem, Bonifacius VIII. c. non solūm, de appellat. in 6. inquit: Non solūm innouata post appellationem à diffinitiuâ sententia interiectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare) ante omnia, per appellationis

iudicem penitus reuocari: sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam & appellationem (quæ postmodum intra decendum interponitur ab eadē) cōtingit innouari: ac si post appellationem eandem innouata fuissent. Si vero ante diffinitiuam ab interlocutoria appellatum fit, illa quæ post appellationem interposita ante diffinitiuam sententiam innouantur, donec appellationis causam veram esse constiterit per iudicem appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam, ex probabili causa fore ad se negotium deuolutum) inhibeat canonicè iudici (à quo appellatum extitit) ne procedat: tunc enim quicquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innouatum (licet causa eadem nō sit vera) per eundem appellationis iudicem, ante omnia, in statum pristinum reducendum est, & traditur in c. ex parte, extr. eo. Notat etiam Specul. §. nouissimè, num. 7. eod. tit. c. 16. quibus, pendente appellatione, innouatio permittitur. Quos ibi videre licet.

Tertius effectus est. Quod appellans, per appellationem interpositam, statim eximatur à iurisdictione iudicis à quo, censeturque iudex incompetens, potissimum si appellationi interpositæ detulerit. Nam is iudex deferendo appellationi iurisdictionē quodammodo à se abdicat, c. cum appellationibus, de appellat. in 6. transfertque eam, super quo appellatum est, ad eum, ad quem fertur, appellatum esse, c. pastoralis, extr. eod. c. per tuas, extr. de sent. excom. & c. ad reprimendam, extr. de offic. ord. Quod tamen non ita accipiendum est, quod per hoc
iudi-

iudici à quo iurisdictione in appellan-
 tem penitus adimatur. Cum etiamnum appellan-
 tem, si delinquit, notorie punire, & appellationem pro-
 priam prosequi negligentem distringere possit,
 c. reprehensibilis, c. consuluit, & c. proposuit,
 ext. eod. Siquidem, aut appellans à prosequuti-
 one appellationis desistit, & appellato in ex-
 pensas legitimas condemnatur, d. c. reprehensi-
 bilis, ext. eod. Aut appellatus non prosequitur
 appellationem, & contra eum, ut contumacem,
 proceditur, c. sæpè contingit, ext. eod. Aut uter-
 que prosequutionem appellationis negligit:
 quo casu prioris iudicis sententia, cui litigato-
 res postea parere tenentur, ob desertionem ap-
 pellationis interpositam, in rem iudicatam transiit,
 d. c. reprehensibilis. Ne tamen quis, prætex-
 tu grauaminis nullibi existentis, à iusta senten-
 tia, temerè appellare audeat, iure civili pœna
 50. librarum auri, cum existimationis iactura
 in temerè prouocantes statuta est, l. eos, C. eod.
 l. à proconsulibus, C. eod. & l. 5. C. quorum
 appellat. non recip. Sed hæc pœna, cum quo-
 rundam appellantium facultatibus par non sit,
 & ex consequenti: iuxta illud: (Qui non ha-
 bet in ære, luat in corpore) in corporalem pœ-
 nam transmutetur, per Canones mitigata est.
 Nam appellantium temeritatem expensarum
 solummodò damno puniunt, d. c. reprehensi-
 bilis, ext. eod. c. 1. de elect. in 6. Abb. in c. inter cæ-
 tera, ext. de appell. Quod ita intelligendum est,
 si de temeritate appellantis indubitato constet.
 appellans enim, qui in prima instância obtinuit,
 etiamsi in appellationis causa succumbit, non

tamen est in expensis condemnandus. quod in procedit, si ex nouis probationibus & actibus succumbat: secus si ex eisdem, seu prioribus actibus, iuxta glos. in c. ignorantia, de regu. iur. in d. Imol. & Hostiens. in c. finē litibus, extr. de dolo & cōtu. & tradit Mynsing. obseruat. 89. cētū.

Quæ Affinia?

Recusatio, relatio, in integrum restitutio, supplicatio, reuissio.

Quid est Recusatio?

Alterum membrum huius tituli est: de Recusationibus. parificantur enim recusatio & appellatio, c. super, extr. eod. Et sicuti per appellationem receditur ab audientia iudicis, ita etiam per recusationem, c. secundò requiris, extr. eod. & c. quòd suspecti, 3. q. 5. Est autem recusatio, vt definit Speculator in §. recusatio, tit. de recusat. iurisdictionis vel audientia, causa suspicionis, proposita declinatio, c. quòd suspecti, 3. q. 5. & c. suspicionis, extr. de off. deleg.

Quæ causa Efficiens?

Ipsa lex, quæ non vult iustitiam à personis suspectis administrari, magno partis detrimento, l. apertissimi, C. de iudicijs.

Quod Obiectum?

Iudex ordinarius, & Delegatus. Quia iure Canonico, tam Ordinarius, quàm Delegatus, ob suspicionem, recusari possunt. De Ordinario patet ex c. si quis contra, extr. de foro comp. c. placuit, 2. quest. 6. c. peruenit, 11. q. 1. & c. cūm specialis, extr. de appellat. De Delegato autem expressum

pressum est in c. suspicionis, extr. de off. deleg. & c. postremo, extr. de appellat. nisi sit datus ad petitionem partis. Quia is, qui ipsum petijt, nequit eum recusare, c. inducie, §. offeratur, 3. quæst. 3. & c. cum olim, extr. de off. deleg. nisi ex noua causa suspicio oriatur, c. infinuantem, extr. de off. deleg. Iure autem ciuili tantum Delegatus, non autem Ordinarius regulariter recusari potest: ad eum effectum, vt remoueatut tanquam suspectus: sed si aliqua suspicionis subfit causa, adiunctus ei dandus est, cōmuniter Dd. in auth. si verò contigerit, C. de iud. & gloss. in l. apertissimi, C. de iud.

Quæ Forma?

Vt, ante litis contestationem, intra tempus deliberationis: scilicet, viginti dierum, libellus recusationis, in quo sufficiens suspicionis causa scripta sit, iudici ordinario, vel Delegato, porrigatur, eliganturq; per litigatores arbitri, qui de suspicionis causa cognoscant, qua coram arbitris probata, negocium cuidam personæ idonee decidendum committatur, vel non probata ad iudicem recusatum remittatur, c. cum speciali, extr. eod. & l. fin. C. de iud. Primò enim requiritur, vt recusationis exceptio in scriptis proponatur, ante litis contestationem, tam iure ciuili, vt in dict. l. apertissimi, quàm iure Canonico, vt in c. inter monasterium, extr. de re iudic. Est enim illa exceptio dilatoria, ergo ante litem contestatam obijcienda, imò ante omnes dilationes. Quia si opponitur alia dilatoria, censetur prouocari iudex, vt super ea pronunciet,

nunciet, & sic inducitur consensus in iudicem
 ut non possit recusari postea, Lanfran. in c. quo-
 niam, extr. de probat. Quod ita procedit, nisi
 ex noua causa, post litis contestationem, suspi-
 cio oriatur, ob quam exceptio recusatoria op-
 ponenda foret, c. insinuantem, extr. de offic. de
 leg. tunc enim, in quacunque parte litis, obijci
 poterit, etiam post conclusionem causæ, si post
 superuenit, iuxta Feli. in d. c. insinuantem. Qu-
 casu, is, qui, ob suspicionem, iudicem, quem an-
 tea approbasse videtur, recusare contendit, in-
 rursurandi religione affirmare tenetur, eam de
 nouo ad eius notitiam peruenisse, c. pasto-
 ris, extr. de except. Nam & in Camera, post li-
 tis contestationem, recipiendam talem recu-
 sationis exceptionem non esse, communi suffra-
 gio obtinuit, nisi notoriè & euidenter contra
 iudici, eam de nouo superuenisse, Myning.
 obseruat. 59. cent. 4. Secundò requiritur, ut re-
 cusatio non verbis, sed scripto fiat. Quia hu-
 iusmodi recusatio interlocutoriæ comparatur,
 à qua in scriptis appellandum est, ita tenet An-
 gel. Fulg. & Salic. in l. fin. C. de iud. debet re-
 cusationis libellus, iudici præsentì exhiberi,
 d. l. apertissimi, C. de iudic. in verb. libello
 recusationis porrecto. Cuius forma est, ut con-
 tineat: quis, quem, in qua causa, quare reco-
 sat, & nomen arbitri, qui ad cognoscendam su-
 spicionis causam eligitur, Specula. in §. quali-
 ter autem, hoc tit. Tertiò requiritur, de iu-
 re Canonico, ut causa suspicionis iusta libello
 recusatorio inseratur, quæ coram arbitris postea
 electis probetur. Causæ iustæ sunt: quia iudex,
 mar-

maritus, pater, vel patronus aduersarij est, pecunia interueniente corruptus, nimis fauens propter propinquitatem, inimicus, quia recusantē priuato vel euidenti odio prosequitur, vel quia fuit aduocatus vel procurator eiusdem causæ, vel quia est imperitus iuris, vel habet assessorem suspectum, Hostiens. in §. quæ sint iustæ causæ, de offi. deleg. & §. ex quibus causis, tit. de recusat. & Specul. §. causa recusationis, de recusat. Illud singulariter notandū, q̄ omnes causæ, q̄ repellūt testē, tanq̄ suspectū, multō magis iudicem repellunt: imō minor suspicio sufficit in iudice, q̄ teste, quia facilius est, alium inuenire iudicē q̄ alium testem: & quandoq; victoria totius causæ in unico teste, propter alia quædam adminicula, consistit, gloss. in c. cū R. Canonicus, extr. de offi. delegati. Quartō requiritur, de iure Canonico, vt à litigatoribus, arbitri, qui de causa suspicionis cognoscant eligantur, qua probata, causa principalis alij iudici committatur, vel nō probata ad iudicem recusatum, remittatur, c. cū speciali, & c. secundō requiris, extr. eod. Sic enim ait Innocen. III. in c. cū speciali, extr. eod. Cū aliquis iudicem proponit se habere suspectum, suspicionis causam coram eodem allegare tenetur. Sed partes, vt in aliquos non valde remotos conueniant, per eundem iudicem debent cogi: coram quibus si causa suspicionis intra terminum competentem probata non fuerit, tunc demum autoritate sua iudex vtetur. Quod si coram ipsis causa suspicionis probata fuerit, causæ cognitioni superfedere tenebitur recusatus, & de recusatoris cōsensu, vel negotium alicui idoneæ

neæ personæ decidendum committit, vel
Superiorem remittit. Sed ius civile hos duos
postremos effectus non approbat. Eo enim in
causa suspicionis in libello recusationis expro-
menda non est, sed sufficit suspicionis allegatio
in genere secundum formulam recusandi, quæ
tradit glos. in d. l. apertissimi, in verbo, libello
quam sequitur Bal. ibidem num. 7. Iason. §. Sal.
alij. Sufficit igitur, dicere, se habere iudicem
suspectum; licet iuramentum præstare teneatur
recusans, se non calumniandi animo recusare.
Nam hoc iuramentum loco probationis est,
cùm quilibet præsumatur memor esse iudicis
sux, & proinde arbitri à partibus electi, secun-
dum ius civile, omisso articulo suspicionis, in
causa principali cognoscunt; quia cùm causa li-
bello non sit inferenda, ex consequenti nec pro-
banda est, d. l. fin. C. de iud. prout tenet etiam
Ang. in d. l. apertissimi, & Bal. in l. 1. §. 1. ff. de iur.
appell. non licet. In hoc tamen quid consuetudi-
ne obseruetur attendendum est, vt tradit Ny-
sing. obser. 63. cen. 3. & Andr. Geyl, &c.

Quis Finis?

Vt iudex, ob suspensionem, remoueat. In
ipsa nanque ratio dictat, vt ait Cælestinus
spectos & inimicos iudices esse nõ debere, d. l.
eundò requiris, extr. eod.

Quis Effectus?

Primus est. Quòd eo ipso, quòd iusta suspi-
cionis causa proponitur recusati iudicis iuris-
dictio sit suspensa, c. super eo, extr. eod. Alter
est

effectus est. Quòd, probata causa suspicionis, intantum expiret, & extingatur recusati iurisdictione, vt in causa principali procedere non possit, &, si ad vltiora processerit, processus sit ipso iure nullus, d. c. secundò requiris, extr. eod. An autem hoc casu arbitri in causa principali procedant, vel alij iudices sint eligendi? Et distinguitur inter ius ciuile & Canonicum. Nam iure ciuili, arbiter de cognoscenda suspicionem electus, in recusati iudicis delegati (iure enim ciuili Ordinarius propriè non recusat) locum succedit, & tanquam delegatus ab eo, qui recusatum delegauerit de causa principali post factam suspicionis probationem cognoscit, d. l. apertissimi, & arg. c. dispendia, ext. de rescrip. sicut cum pronunciat, quod appellatio ab interlocutoria sit iusta: quia tunc deuoluitur negotium principale ad iudicem appellationis: appellationibus enim ab interlocutorijs recusationes iure ciuili comparantur, Cast. in d. l. apertissimi. Verum iure Canonico, arbitri tantum de causa suspicionis cognoscunt. Qua probata, iudex recusatus, potest de recusatoris assensu committere personæ neutri parti suspectæ causam: seu cogere partes ad eligendum arbitros, quibus ipse vices suas committat ac deleet, & hi tanquam delegati eius vice de principali causa cognoscant, vel causam ad Superiorem remittere potest, d. c. cum speciali, ext. eod. c. cum te, extr. de off. dele. c. peruenit, 11, q. 1, & c. placuit, 2. quæst. 6.

Quid

Quid Relatio?

Relationis tractatio ad tertiam huius tituli partem spectat: conuenit cum appellatione in effectum. Quod sicuti instituta appellatione, ita etiam facta relatione ad Superiorem, nihil inuari debet. Et dicitur relatio, iudicis de iure dubitantis ad Principem missa consultatio, c. in masti, extr. eod. & c. si quid in ecclesia, 2. q. 7.

Quæ causa Efficiens?

Iudex competens, qui, ob difficultatem, vel ambiguitatem iuris, de causa dubitat. Nam in dubiorum perplexitate non est recepta relatio, l. 1. & l. 2. C. de relat.

Quæ Materia?

Ipsum ius, non autem factum, tam in causa ciuili, quàm criminali, auth. collat. 6. de iud. §. fin. & l. eum, ff. de iudic. Relatio enim locum habet: 1. Vbi in controuerso casu nullum ius est expressum. 2. Vbi quidem expressum est, sed de eius intellectu dubitetur, propter diuersas interpretum sententias. 3. Vbi tanta est iurium contrarietas, ob quam iudex in diuersas sententias anceps distrahatur, c. pastoralis, extr. de beneficiis. c. literas, extr. de restit. spol.

Quæ Forma?

Formam ponit Speculator in §. qualiter, titulus de relationibus, & Impp. Theodo. & Valent. in l. fin. C. de precibus Imperatori offerendis: scilicet ut iudex ante sententiam definitiuam, examinato diligenter articulo, super quo fieri debet relatio

latio, partibus præsentib. dicat, se super ea dubitare, & velle Principẽ cõsulere: demũ cõficiat libellũ Principi mittendũ, in quo cõtineatur processus, corã eo habitus, & dubitationis articulus, rationesq; partium, & iura quæ ipsum perplexũ reddant. Quo facto, ipsum consultationis exemplum partibus legendum, vel edendum, vt si fortẽ relatio minũs plena videatur, vel aliter scriptum, quàm actum sit, opponere suas rationes, & refutatorios libellos Principi offerre possint, cùm interl, extr. de elect. Tunc enim relationibus plena fides & veritas inest, cùm vel allegationibus partes repelluntur, vel partium approbantur assensu, l. 1. & l. 2. C. de relat.

Quis Finis?

Vt, ambiguitate iuris, per Superiorem declarata, iudex rectẽ quæstionem definire, & sententiam iuri & æquitati consentaneam ferre sciat, d. c. intimasti, extr. de appellat.

Quis Effectus Relationis?

Effectus relationis est, vt causa, vel etiam consultatione pendente, nihil debeat innouari, vel de causæ meritis inquire, vel aliquid fieri, aliàs irritum id habetur, c. licet, extr. de off. leg. c. bonæ, 2. ext. de post. prælat. c. nomen, 2. q. 1. & c. denique, 6. q. 3. Notandum etiam. Quamuis relatio fuerit per iudicem approbata, tamen, priusquã facta sit, potest ea commissa de partium consensu in causa procedi, c. significantibus, extr. de off. deleg.

Quid

Quid est Supplicatio?

Sicut appellatio ad corrigendam Inferioris sententiam interponitur: ita supplicatio ad mitigandam sententiæ severitatem, illorum, à quibus propter dignitatis sublimitatem appellari non licet, fieri contingat. Est autem supplicatio nihil aliud, quàm veniæ proprii erroris petitio, vel ipsius Superioris benignitatis imploratio, præfetti, ff. de minor.

Quæ causa Efficiens?

Est lex ipsa, permittens in certis casibus Principi preces offerre, tot. tit. C. de precibus Imp. off. & tit. C. vt lite penden. vel post prouoca.

Quod Obiectum?

Sententia, à qua appellatio non conceditur, est sententia Præfetti prætorio, Imperatoris vel Papæ, c. ex literis, extr. de restitut. in integrum, de c. cū causam, extr. de re iud. Aliàs .n. lite pendente, vel post prouocationem, aut diffinitiuam sententiam nemini licet supplicare, d. tit. vt lite pendente, & c. Nisi vel actorum communium, vel pronūciationis editio denegetur, l. supplicare, d. tit. vt lite pendente. An autem possit supplicare ad Episcopum à sententiâ Vicarij? Et quidem potest, supplicatione largè sumpta, vt scilicet comprehendat beneficium restitutionis in integrum; quod conceditur minori, vel maiori, ex causa, nam cum ipse Vicarius Episcopi possit aduersus suam sententiam restituere in integrum, non est mirum, si Episcop⁹ aditus restituere possit, aduersus eandem sui Vicarij sententiam, cum vna eademque vtriusque censeatur iurisdictio, iuxta Panor. & alios,

lios, in c. ex literis, extr. de restitut. in integ.

Quæ Materia?

Causa tam criminalis quàm ciuilis. Nam super criminis pœna, venia potest per supplicationem impetrari, l. rescripta, C. de precib. Imp. off. & c. quæ est, 25. quæst. 2. huius autem supplicationis basis & fundamentum sumitur, non ex sententiæ iniquitate, quæ non cadit in tam sublimes personas; à quibus appellandi facultas non permittitur; sed ex petitione veniæ propriij erroris, vel aduersarij circūventionis allegatione, l. præfecti, ff. de minorib. In causa autem ciuili, post pronuntiationem reuisio omnium actorum oblati Principi precibus, peti potest, si condemnatus prolata sententia cōtra æquitatem & ius scriptum se grauari arbitretur, pendente verò lite supplicatio facile non recipitur, nisi supplicetur pro eo, quod graui partis aduersæ dispendio nō cedat, vt pro dilatoria exceptione, non peremptoria, id enim quod totius negotij cognitionem tollit, & vires principalis negotij exhaurit per rescriptum non conceditur, l. quoties, C. de precib. Imp. off. c. ex insinuatione, extr. de procurat. & c. 1. extr. de dol. & contum.

Quæ Forma?

In causa criminali, forma est, vt supplicatio libello cōprehensa, in qua suppressa causa supplicandi extrinseca, error propriij facti, vel dolus, & circumuentio aduersarij prætendatur, cum imploratiōe benignitatis Principi offeratur, p. fitq; petēti, nec alij obsit, c. nec damnosa, 25. quæst. 2. & l. 2. C. de precib. Imp. & c. Forma in causa ciuili est, si condemnatus iniquè condemnationem
factam

factam putet, vt intra decem dies reuisionem
 etorum, & totius causæ petat, quibus elapsis, ha-
 bet biennium ad supplicandum Principi: quod
 biennium computatur, ex quo Imperator in co-
 gnitione præfecti successit, l. 1. C. de senten. præf.
 præto. & auth. quæ supplicatio, C. de precibus
 Imper. offer. quod iure communi obtinet. Qui
 autem in Camera? vide infra: De reuisionibus.

Qui Effectus?

Effectus supplicationis est: quia, si Princeps
 rescribit ad supplicationem, obtinet vicem litis con-
 testatæ; quantum ad hoc, vt perpetuetur vsq; ad 100
 annos, vel, secundum alios, vsq; ad 40. tot. in quibus
 do libel. Princ. dat' litis cõtest. faciat, & l. 1. C. de
 annali excep. transitq; ad hæredes, & cõtra hære-
 des, l. 1. C. quando libel. l. constitutionibus, ff. de
 act. & oblig. c. circa mediũ, §. potest, 16. q. 3. Ob id
 p̄toriz aliæq; temporales actiones, per oblatas
 Principi preces, & ad eas rescriptionem, perpetu-
 tantur, l. temporales, C. quando libel. prim. da.

Alter effectus est, cõmodum fideiussionis pro-
 stande. Supplicatio enim non habet hunc effectum
 instar appellationis, vt, pendente rescripto, ad
 supplicationem nihil innouetur. Quandoquidem,
 si intra decem dies supplicetur, potest senten-
 tia executioni mandari: ita tamen, si victus
 satis dederit de restituenda re, si sententia fuerit
 iustè resoluta. Si autem non supplicauerit intra
 decem dies, habet biennium ad supplicandum
 Principi: quod biennium computatur, ex quo
 Imperator in cognitione præfecti successit, l. 1.
 C. de senten. præf. præto. Sed tunc executio sen-
 tentiæ

sententiæ fiet, nec victor satis dabit, de restituendo, auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. off. Igitur aduersus sententiam supplicare quis debet infra decem dies, si velit habere commodum fideiussionis præstandæ: sed per hanc supplicationem executio sententiæ non impeditur.

Ex his patent, inter appellationem & supplicationem differentia. 1. Appellatur intra decem dies: sed supplicatur vsq; ad biennium. 2. Pendente appellatione, nihil est innouandum: sed pendente supplicatione, mandatur executioni sententia. 3. Ante sententiam non licet simpliciter supplicare, l. 2. C. vt lite pend. sed appellare permittitur, vbicunq; grauamen infertur, c. vt debitus, ext. de appellat. 4. Supplicatio protenditur ad noua & vetera: appellatio verò solùm ad ea, super quibus interponitur, c. suscita, & c. ex literis, extr. de in integr. restitut. Denique temerè supplicans in omnem litis æstimationem aduersario condemnatur, l. 2. & l. 3. C. vt lite pen. secus in appellante de iure ciuili, iuxta l. eos, C. eodem.

Quid Reuisio?

Reuisio est, causæ, in qua, per diffinitiuam iudicis sententiam opinione partis supplicantis contra æquitatem vel ius scriptum grauamè infertur, ex prioribus actis propositisq; causis & argumentis merita causæ concernentibus, repetita cognitio.

Quæ causa Efficiens?

Constitutio Imperialis, quæ neminem, contra
K k ius

514 ANALYS. IURIS PONTIFICII
ius & æquum grauare, permittit, auth. quæ sup-
plicatio, C. de precib. Imp. off.

Quod Obiectum?

Prætensa à parte condemnata nullitas, &
iniquitas pronuntiatae sententiæ diffinitiuæ,
quauis causa: ita, vt etiam in causa diffama-
tum, in qua, ad impositionem perpetui silentii
proceditur, sententiæ lata, reuifio peti possit, An-
Geyl, obseruat. 132. lib. 1. practica. obseruat.

Quæ Forma?

Forma, de iure communi, habetur in
quæ supplicatio, C. de precib. Imp. off. Sed
in reuifionibus, post sententiæ diffinitiuam
tam, in Camera Imperiali, per partem conde-
natam & victam petitis obseruetur: Traditur, Or-
dinat. Cam. parte 3. tit. 53. & constitutione Rati-
pon. anno 1532. promulgata, fol. recaf. 24. Quæ
tamen ordinatio Camerae, per constitutionem
Imperialem postea, Anno 1557. Spiræ promulga-
ta, ampliata est, fol. 208. recaf. Spiren. Anno 1557.

Qui Effectus?

Vt sumptibus partis petentis fiat reuifio
peritos ad hoc deputatos. Quæ facta, si nullam
tem vel iniquitatem sententiæ deprehenderit,
contra sententiæ, pars condemnata restituatur.
Et nota, quod, reuifionis tempore durante,
sententiæ executioni mandetur, si victrix pars
dignam præstiterit fideiussorem tantum restituendi,
quantum fuerit in condemnatione, si le-
gitima

gitima retractatione sententia resoluitur, d. auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. off. Quid, si fideiussores habere nequeat? Et adhuc per reuisionis processum non impeditur executio, si modo iuratoriam cautionem, quæ loco fideiussionis requisitæ admittitur, præstiterit: ita concludit Andr. Geyl ex opinione Guid. Pap. de cif. 189. & c.

Quid est Restitutio in integrum? Et quomodo ab appellatione, supplicatione, vel reuisione differat?

Restitutio in integrum est, prioris status, iuris vel audientiæ redintegratio, c. ex literis, extr. de in integ. restitut. Nec multum, quo ad effectum legitimum, ab appellatione differt: sicut enim per appellationem quandoque rescinditur, ita etiam per in integrum restitutionem: & sicuti, pendente appellatione, nihil est innouandum, ita quoque postulata & obtenta in integrum restitutione, omnia sunt in eodem statu, in quo erant, priusquam petitio fieret. Nec enim res, super qua postulatur, alienari debet, nec sententia executioni mandari, nec aliquid fieri in præiudiciū postulantis, donec restitutio fuerit expedita. Ex quo perspicuè apparet, vberius esse restitutionis, quam supplicatiōis, beneficium. Nā supplicationis oblatio sententiæ executionē, vel rerum alienationē, donec ad eā rescribatur, nō impedit. Differunt & alio modo. Quia supplicatio puræ gratiæ & benignitati Principis inmittitur, locūq; habet, quādo nulla, pbabilis cau-

extrinseca allegatur: sed vel error facti præceditur, vel dolus, & circumuentio aduersarij, restitutio in integrum, innititur iustitiæ, locus ei est, quoties contra sententiam Principis allegatur probabilis quædam causa extrinseca: præterea, minor ætas, fauor Ecclesiæ, absentia probabilis vel necessaria, aut simile quid, iuxta Panormium in c. cum ex literis, verb. sed pro concordia, et de in integ. rest. & c. auditis, extr. de in integ. restit. Quale autem beneficium sit in integrum restitutio? vide in Mynsing. obseruat. 18. centur. 4. Quæ forma petendi? obseruat. 49. & obser. 51. centur. 1. Quid probari debeat? obser. 50. centur. 1. & obser. 16. cent. 4. Quis effectus? & an impedit executionem sententiæ? vide obser. 48. cent. 1. de hac materia latius supra, lib. 1. tit. 41. De integ. restit.

Quæ Adiacentia?

Dimissorij libelli, qui apostoli dicuntur, libelli appellatorij, compulsoriales, & inhibitoriales, uel literæ inhibitoriales.

Qui dicuntur Apostoli?

Apostoli dicuntur, libelli, per quos causam eum, qui appellatus est, dimittitur: & postea positam appellationem, in qualibet causa dantur, ab eo, à quo appellatum, ad eum, qui de-terposita appellatione cogniturus est, l. 1. ff. de libell. dimissor. Forma apostolorum traditur per Iureconsultum in l. vnica, ff. de dimissor. libell. videlicet, appellasse Lucium Titium à sententia illius, quæ inter illos dicta est: debent enim conti-

nere quis appellet, à quo, ad quem, super quo, & ex qua causa, Spec. in §. de officio, hoc tit.

Quæ sunt Apostolorum species?

Dicuntur apostoli, vel dimissorij, vel testimoniales, vel conuentionales, vel reuerentiales, vel refutatorij. Dimissorij dicuntur, per quos apparet, quòd iudex appellationi detulit, & quòd appellan-tem à sua iurisdictione exemit, & causam, ad eum, qui appellatus est, remittit. Hi enim sunt dimissoriorum effectus. Testimoniales dicuntur, quia testificantur de appellatione facta coram iudice. Conuentionales sunt, quos pars admittit, siue in iudicio, iudice refutante, siue tace-nte extra iudicium, c. sæpè, & c. oblata, extr. de appellat. Reuerentiales appellantur, vt quando, propter Superioris reuerentiam, appellationi defertur, vt in l. eos, §. super his, C. de appellat. Refutatorij dicuntur, per quos apparet, quòd Iudex non defert appellationi, scilicet, quando friuola & frustratoria est appellatio, & ad manifestam calumniam, vexandiq; aduersarij causa instituitur, talibus enim à iudice non est deferendum, cum nec ius deferat, c. cum appellationibus, eod. tit. lib. 6. De alijs apostolis, vide apud D. Chilianum, in pract. cap. 130. Quos libellos si iudex ad instantiam appellantis (quod intra 30. dies fieri debet, aliàs appellationi renunciasse videtur) non tradiderit, & petitione appellantis non attenda in causa processerit, erit processus ipso iure nullus, vt notant Bonifacius VIII. & Innocentius III. in c. ab eo, & c. vt super, de ap-

18 ANALYS. IURIS PONTIFICII
pellat, in 6. & Clementina quamuis eod. Supràta-
men dixi, iuxta ordinationem Camerae, par. 2.
tit. 30. requisitionem apostolorum non esse ne-
cessariam, sed appellantis arbitrio relinqui,
num eos petere nec ne velit, Mynsing. cent. 4. ob-
seruat. 36.

Qui dicuntur libelli Appellatorij?

Libelli appellatorij nihil aliud sunt, quam ap-
pellationis instrumentum, manu publici nota-
rij confectum: quo, nomen appellantis, & appel-
lati, & à cuius iudicis sententia appellatur, cum
iustificatione appellationis (quod per expressio-
nem causæ iustæ appellandi contingit) iudici ap-
pellationis proponitur. Quo quidem instrumē-
to opus est, si appelletur ab interlocutoria, ob
hanc rationem. Quia ab interlocutoria, nisi ex
iustis causis, non est appellandum: Ergo per illas
causas instrumento insertas, appellatio *hacten-*
coram iudice ad quem, non autem per alios, de-
bet iustificari: quod non requiritur in appella-
tione à diffinitiva, quæ non nisi ex prioribus a-
ctis iustificatur. Sic enim ait Clemens V. in Clem.
appellanti; de appellat. Appellanti ab interlocu-
toria, vel à grauamine iudicis, non licet aliam
fas prosequi, quam in appellatione sua nomi-
tim duntaxat expressas: Nec processus primi iu-
dicis, ex nouis aut de nouo probandis, iustificari
potest, vel etiam impugnari; sed tantum ex illis,
quæ acta fuerunt vel exhibita coram ipso. Sed
appellatio à diffinitiva non tantum per causas
instrumento insertas, sed etiam alias, quas in a-
ctis diligens iudex inueniet, iustificatur: imò

vt putat Speculator in §. de officio hoc tit. iudex inquirédo, an ex causa à diffinitiuâ appellatum fit, non laborabit, cum à diffinitiuâ etiam sine causæ expressione appelletur, & sufficiat dicere: Appello ab iniqua sententia.

Quid sunt Compulsoriales, causa efficiens, materia, forma & effectus?

Compulsoriales sunt, literæ quibus iudex ad quem, post receptionem appellationis, mandat iudici à quo, vt acta causæ ad se transmittat. Iudex enim à quo actorum copiam, sub suo sigillo iudiciali, appellanti edere tenetur, l. is apud quem, & Dd. ibi, C. de edendo. Quod si dare recuset, mandatis pœnalibus per iudicem appellationis, vt edat, compelli potest, d. l. is apud quem, & ordinat. part. 2. tit. 31. §. 1. & par. 3. tit. 31. §. 1. cum seq.

Causa efficiens est, iudex appellationis, qui iudicem inferiorem ad edendum acta, sub comminatione certæ pœnæ, cōpellere potest, vt dixi.

Materia, compulsoriales non solum pro edendis actis, sed etiã in causis priuatorum, pro edendis rationibus, instrumentis & missiuis inuenturis, & statutis ciuitatum decernuntur: prout notat Canonistæ in c. 1. extr. de probat. & Dd. in l. 1. §. editiones, ff. de eden.

Forma, vt iudici inferiori, sub pœna pecuniaria, sine clausula iustificatoria, per iudicem appellationis mandetur, vt intra certum terminum acta edat: huiusmodi enim compulsoria mandata, clausulam iustificatoriam

annexam non habent. Ratio. Quia iudex de iure acta edere tenetur: ergo præceptum poenale hic locum habere potest, d. l. c. is apud quē, C. de eden. Finis & effectus vt editis actis perfectis & integris, veritas inquiri, & falsitas euitari possit, per tex. in c. quoniam contra, extr. de probat. nam acta, tanquam scripturæ publicæ, plenam fidem absq; testibus faciunt, Maran. par. 6. titu. de act. edit. num. 23. Quod si iudex a quo adhuc acta edere contumaciter detrectet, non statim in declaratio poenæ, neq; arctiores compulsoriales decernuntur, sed in scriptis, vel viua voce, petitio in primis ab appellante, pro arctioribus compulsorialibus, & citatione ad videndum se incidisse in poenas simplicium compulsorialium, iudicialiter exhiberi, vel fieri debet. Ad hanc petitionem decernuntur arctiores compulsoriales, si de legitima requisitione & insinuatione simplicium compulsorialium fides facta sit, quibus arctioribus citatio contra iudicem a quo, ad videndum, se incidisse in poenas simplicium, vel allegandū causas iustas, cur hoc fieri non debeat, inferitur (hæc enim citatio, ad videndum, que ad impositionem multæ requiritur, euentualis poenæ declarationem præcedere debet) & præterea iterum mandatur ei, vt facta legitima requisitione, acta pro debita mercede edat, ad euitandam comminatum poenam. Et potest etiamnum facta editione in termino poenæ compulsorialibus inserta euitari: & hæc in Camera obseruari tradit And. Geyl, obser. 13. & 134. lib. 1. pract. obseruat.

Quid

Quid sunt inhibitiones? Quæ causa efficiens materia & forma?

Inhibitiones sunt, literæ, quibus iudex appellationis interdicit iudici aquo, ne, pendente appellatione, quid in causa attentet, innouet, vel vterius procedat.

Causa efficiens est, iudex appellationis: qui præcepto inhibet, ne quid innouetur.

Materia sunt, varij generis attentata, à quibus iudex aquo, pendente appellatione, non desistit.

Forma, vt interposita appellatione à diffinitiuâ, vel interlocutoria vim diffinitiuâ habente, ad petitionem appellantis, per iudicem appellationis vnâ cum citatione decernatur inhibitiõ: cuius literis ad iudicem aquo transmissis in causa vterius nihil attentet. Quando enim appellatur à sententia diffinitiuâ, vel diffinitiuâ vim habente, tantùm decernitur inhibitiõ, per tex. in c. non solùm, c. Romana, §. si verò, de appellat. in 6. Ratio est. Quia appellatiõ à diffinitiuâ, vel diffinitiuâ vim habente, statim deuoluit causam ad iudicem appellationis, & reducit ad eum statũ, in quo erat causa principalis post litis contestationem, per tex. in l. ita demum, C. de proc. Bart. & Bal. ibid. Marant. distinct. 6. num. 16. Hæc tamen non ita simpliciter accipienda sunt: sed cum distinctione, quam tradit Innocentius III. in Concilio Lugdunensi. Qui ita distinguendo decreuit: si appellatur post sententiam diffinitiuâ: aut proponitur coram iudice appellationis, non esse appellatum, aut appellationem esse nullam,

vel alio modo, ad ipsum appellationem defectus
 iurisdictionis non pertinere: & his casibus non
 debet priori iudici aliquid inhibere, nisi prius
 constet, appellatum esse, c. Romana, §. si verò, ex
 tr. eod. aut nisi prius cognoscat, an sua sit iuri-
 dictio, c. super literis, extr. de rescriptis. Post-
 quam igitur, vocatis partibus, cognouerit appo-
 latum, vel suam iurisdictionem esse, statim in-
 terit inhibere: sicuti etiam si horum nihil in-
 terit reuocetur, sed de appellatione interposi-
 ta & competenti iurisdictione constet, c. pallo-
 ralis, §. præterea, extr. de off. deleg. & c. non so-
 lum, eod. Quod quidem procedit, si causa qua-
 litas appellationem admittat, non autem, si
 prohibeatur: puta, à sententia super notomis-
 mine, vel de quo quis in iure conuictus & con-
 fessus est, & similibus casibus à iure prohibetur.
 his enim iudex appellationis decernende inhi-
 bitionis non habet facultatem, priusquam co-
 gnoscere cœperit, an appellatio sit recipienda,
 vel non? & an sit casus, in quo appellari pote-
 rit? d. c. Romana, §. si autem, de appellat. in 6. Et
 his patet, appellatione interposita ab interposi-
 toria simplici appellabili tamen, iudicem appo-
 lationis, vnà cum citatione inhibitionem decer-
 nere non debere. Ratio est. Quia ei de veritate
 grauaminis primùm constare oportet, vtrum
 causa sit deuoluta, nec ne? quam diu enim cog-
 noscit, an appellatio sit recipienda? an causa sit
 deuoluta? inhibendi non habet potestatem. Nec
 potest inhibere is extraiudiciali appellatione.
 Quia cum sit tantùm prouocatio ad causam, habeat
 que vim conuentionis, non suspendit pro-
 terita.

terita: sed tantum futura respicit, ne indebitè molesteretur, Panor. in c. dilecti, num. 4. extr. de maior. & obedient. Apud quem vide, quomodo attentata post appellationem extraiudiciali reuocentur: eius enim opinionem sequitur Camera. Proinde non decernitur appellatio, quando tertius appellat, pro suo interesse: quia titulus, ff. nihil innouari appellat. pendente, non procedit in tertio aliquid innouante, quia res inter alios acta, Felin. in c. cum super, num. 11. extr. de re iudic. & Panorm. in c. in literis, extr. de restitut. spol. Nec debet iudex inhibere in interdicto retinendæ possessionis: quia iudex inhibendo causæ principali præiudicaret, c. 2. extr. de elect. Quare si appellatus, pendente appellatione possessionis commodo fruatur, inhibitiō ad instantiam appellantis concedi non debet: quia nemo prohibetur vti sua possessione, etiam appellatione pendente, glos. in d. c. non solum, de appel. in 6. Rot. decis. 44. num. 1. & 2. Denique in causa nullitatis, quando, ratione nullitatis, principaliter appellatum est, cum citatione inhibitiō decerni non debet. Ratio. Qui postquam sententia in re iudicatam transiit, eius executio nullitatis processu remorari non debet. Præterea, pro iudice præsumitur tantisper, donec de nullitate sententiæ doceatur, c. præsentium, 67. quest. 1. Formam inhibitionis vide apud Specu. tit. de citat. §. dicto. verb. porrò.

Quæ Pugnancia Appellationis?

Sunt modi, quibus appellationum formalia possunt impugnari: Vt si appellet, qui appellare

non

non potest, vel contra eum, contra quem non conceditur appellatio: vel ab eo, à quo, propter sublimitatem dignitatis, non potest appellari: vel casus qualitas appellationem non admittit: & alii modi, quibus non est necesse appellare, quos vide in c. si qui appellat, §. is aut, 2. q. 6. Veluti à sententia lata citra ordinem iudiciorum, vel lata contra res prius iudicatas, à quibus prouocatum non est. Item si lata sit contra ius scriptum, secus si contra litigatoris: item si lata sit ab uno iudice pluribus iudicibus datis. Item si iudex contra statutum, legem modum certa ratione & fine certo non obseruato mulctam irrogauerit: si sententia sit lata iudice mercede corrupto: item, si eligatur inhabilis ad honorem, propter infirmitatem amentis. Pugnant etiam cum appellatione illi modi, quibus ipsa prohibetur, quod variè contingit. Primum, non appellat verus contumax, l. contumacis, ff. de rei iud. 2. Non appellatur ab executione, nisi modus excedatur in exequendo, l. ab executore, C. quorum appellat. non recip. 3. Non appellatur à sententia lata super reductione ad arbitrium boni viri: iuxta Innocentium III. c. penul. ext. de rescrip. 4. Non appellatur, quod tunc Fiscalis calculi satisfactio postulat, aut tributariae functionis solenne munus exposcit, aut publici vel etiam priuati, dummodo euidentis atque conuicti redhibitio debiti flagitetur, l. abstinendum, C. quorum appel. non recip. 5. Non appellatur à Principe, c. cuncta, 11. q. 3. 6. Non appellat, qui se à iudice non prouocaturum promisit. 7. Si Imperator ita iudicem dederit, ut non liceat ab eo appellare, d. l. 1. ff. à quibus appel. non licet.

licet. 8. Non appellatur à præfecto prætorio, l. 1. C. de off. præf. præto. 9. Non appellatur à sententia arbitri cõpromissarij, l. 1. C. de arb. 10. Nõ appellatur à sentetia momentaneæ possessionis, c. ei qui, 2. q. 6. 11. Non appellat is, quem constituit publicum esse debitorem, l. fin. C. eodem. 12. Non auditur appellans, ne voluntas defuncti testamento scripta referetur, vel ne scripti hæredes in possessionem mittantur, l. quisquis, C. quorum appel. non recip. 13. Non permittitur appellare, si res dilationem non recipiat: veluti, ne testamentum aperiatur, ne frumentum in vsum militum, vel in annonæ subsidia contrahatur: neque scriptus hæres in possessionem inducatur. Item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur, id quò minus fiat, non permittitur appellare. Item quò minus pignus vendere liceat, appellari non potest, l. fin. ff. de appellat. recipiend. 14. Nõ appellat, qui terminum recepit ad soluendum, vel non sententiæ acquieuit, c. gratum, extr. de off. deleg. 15. Non appellatur ab eo, quod à maiore & saniore parte Capituli fuerit constitutũ: nisi à paucioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit, c. 1. extr. de his quæ à ma. parte, & c. 15. Non appellat Officialis condemnatus à proprio iudice, ratione malè gesti officij, l. nulli, C. eod. 16. Non appellatur à correctione Superioris, c. licet, extr. de off. ord. 17. Non appellat tutor datus, sed intra tempora præstituta, excusationem allegabit, & si fuerit repulsa, tunc demũ appellabit, sed vocatũ ad aliquod munus, vel honorem, mox appellare potest, l. 1. §. si quis tutor, ff. quando appel. 18. Non appellat condemna-

tus

tus de falsa moneta, l. 1. C. de fal. mon. Neque appellatur in alijs delictis notorijs: quia appellatio non debet esse iniquitatis prælidium. Ideo homicida, veneficus, adulter, maleficus, & qui manifestam violentiam commisit, conuictus, & voce propria confessus, non appellant, l. 2. C. quorum appel. non recip. 19. Non appellatur sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Quod locum habet, quo ad hoc, ut suspendatur sententia: nam per appellationem non suspenditur, cum secum trahat executionem, & non obstante appellatione, quis excommunicatus denunciari potest, c. pastoralis, extr. de appellat. & c. is cui, de sententijs excō. in appellari tamen potest ad hoc, ut negotium transferatur ad Superiorem, c. peruenit, extr. de appellat. & c. per tuas, extr. de sententijs excom. Et tunc Superior absolvere potest excommunicatum appellantē, & non tenetur eum remittere ad excommunicatorem pro absolutione, nisi velit, c. per tuas, extr. de sententijs excom.

AXIOMATA ET SENTENTIAE.

Non sufficit appellanti, docere, quod exceptionem legitimam & veram opposuit & appellavit, nisi doceat propter exceptionem non admissam, appellasse, c. dilectus, extr. eod.

Si iudex confessionem aduocati eadem die renovatam pro litis contestatione veli habere, vel processum à subdelegato subdelegati factum ratificet, licite appellatur, c. cum causam, extr. eod.

Collatio beneficij facta post appellationem, ex probabili
& verisimili causa, interpositam, est ipso iure nulla, c. 1.
extr. eod.

Si ante sententiam, vel postea, fuerit appellatum hu-
iusmodi appellationibus annus indulgetur, aut ex neces-
saria & evidenti causa biennium: nisi forte iudex breui-
us tempus, secundum locorum distantiam & persona-
rum & negotij qualitatem fuerit moderatus: intra quod,
si, qui appellauit, causam appellationis non fuerit prose-
cutus, tenebit sententia lata. Si post sententiam appella-
uerit, & à causa sua cecidisse videtur: nec amplius super
eodem negotio audietur appellans. Si verò à grauamine,
& ante litis ingressum fuerit appellatum, huiusmodi au-
dientur appellans: quoniam sacri Canones, etiam extra
iudicium passim appellare permittunt. Nec solent huius-
modi dici appellationes, sed prouocationes ad causam. Si
autem ante sententiam quis appellauerit, cogitur illius
stare iudicio, ad quem noscitur appellasse, c. cum sit Ro-
mana, extr. eo. & c. personas, extr. eod.

Qui de crimine impetitur, appellare potest, nisi sit no-
torium, d. c. cum sit Romana, §. prater ea, extr. eod.

Appellatio generalis, respectu causa, non valet, c. in-
ter cetera, extr. eod.

Eiam, non obstante appellatione, ex falsa causa in-
terposita, potest iudex ad vltiora procedere, c. super
eo, §. si autem, extr. eod.

Supersedetur, propter articulum, in quo appellatum
est etiam super principali causa, si sine illo articulo ex-
pediri non potest, c. super eo, extr. eod.

Coram iudice, à quo appellari in vna causa possum:
in alia

328 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
in alia conueniri, nisi eum recusem, vt suspectum, c. n.
hac, extr. eod. & c. proposuit, extr. eod.

Lapsus biennij non praiudicat appellanti, quò minus
ex causa legitima audiatur, saltem per beneficium restitu-
tionis in integrum, c. ex ratione, extr. eod.

Generalis & vaga appellatio respectu cuiuslibet gra-
uaminis non valet: sed si ad certā causam restricta fuerit,
c. consuluit, extr. eod.

Excommunicatus, pendente cognitione appellationis,
absolui potest ad cautelam: & si apparet, eum legitime
appellasse, non punitur, ob celebrationem diuinorum, c.
ad presentiam, extr. eod.

Iudex, qui recusatur, statuit certum tempus aliter,
ad finiendam causam, quo elapso, si finita non fuerit, in
principali procedit, c. legitima, eod. in 6.

Si iudex requisitus non tradit apostolos, & postea
procedit in causa, non valet processus: nisi renouationem
fuerit appellationi, c. vt super, eod. in 6.

Si negetur, per appellationem negotium deuoluitur,
non inhibebit iudex superior, iudicem principalis causa
inferiorem procedere: nisi prius de deuolutione consue-
rit: item est, si dicatur ex iniusta causa esse appellatum.
Non enim inhibet, nisi prius recepta appellatione, c. de
mana, §. si verò, & §. quòd si, eod. in 6.

Iudex appellationis iniquæ appellansem ante senten-
tiam remittere debet ad iudicem principalem, & in ex-
pensis condēnare; & hoc si principalis iudex non detulit
rat appellationi: sed si detulit, nō fiet remissio de necessa-
te, cum totius causa decisio in Superioris potestatem, per
delationem inferioris sit trās fusa, c. cum appellationibus,
eod. tit. in 6.

Per appellationem interpositam à diffinitiuâ, reuocari potest interlocutoria, principali negotio praiudicans, c. licet, eod. tit. in 6.

Qui appellat extra iudicium, intra decem dies (ex quo sciuit grauamē) appellare debet, postea per remedium iuris communis audietur, sed non per appellationis remedium, c. concertationi, eod. tit. in 6.

Ante diffinitiuâ sententiam, appellanti non licet prosequi causas in appellatione nominatim non expressas: Nec processus primi iudicis iustificari, vel impugnari potest, nisi ex actis coram eo, Clem. appellanti, eod. tit.

Tempus, ad prosequendam appellationē ab homine, vel à iure, prefixum, non currit appellanti, compromisso durante, vel de partium expresso consensu, nisi periculo imminente ex mora iudex aliud decernat, Clem. quantum, eod. tit.

Appellans, prosequi & finire tenetur appellationem extra iudicalem, intra annum, à die interpositæ appellationis, vel illati grauaminis: quo non factis impedimento iusto cessante) appellatio est deserta, Clem. sicut, eo tit.

Si appellans intra triginta dies, instanter non petit apostolos, appellationi renūtiat, c. ab eo, eod. in 6.

Si iudex modo debito requisitus apostolos nō tradit, sed postea procedit: non valet eius processus, d. c. ab eo, in 6.

Sufficit apostolos peti vno contextu sepius & instanter ad quos recipiendos, si iudex certum terminum statuat, appellans illos non petens in termino, appellationi renūtiat: Idem cum iudex statuit terminum iuris incertum, intra quem appellans illos debite non petiuit, vel ablatos recipere renuit, Clem. quamuis de appellat.

Innouata per iudicem, post definitiuam sententiā
qua appellatum extitit, reuocatur statim per iudicem
appellationis: e. i. nisi ante appellationē fuerit innoua-
ta. Attentata verò post appellationem, ante definitiuam,
non reuocatur, nisi primò de veritate constiterit: nisi
post inhibitionem debito modo factam attentata fuisse,
c. non solum, eo. tit. in 6.

Valet appellatio coram maiore parte plurium iu-
dicū. Sed appellatio est appellatio, delatio, & terminatio pre-
fixio inrimanda, Clem. 1. eod. tit.

Appellans ante sententiā tenetur exprimere causas
rationabilem coram ipso iudice a quo, nec in contrarium
admittitur exceptio, c. vt debitus honor, extr. eod.

Si iudex, à quo est appellatum à grauamine, reuocat,
potest in principali causa procedere, c. cum te-
te, extr. eod.

Alteri parte contumaciter absente, potest iudex ap-
pellationis, etiam principale negotium definire, si post
litis contestationem, fuerit appellatum, c. per tunc, extr.
eod.

Vbi ex dilatione imminet periculum, etiam, non
parte prosequente, potest iudex ad quem supplere, per
compellendo ad prosecutionem, c. oblata, extr. eo.

Protestatio contraria actui nullius est momenti, c. de
licitudinem, extr. eod.

Contraria allegans, non est audiendus, d. c. sollicitu-
dinem, extr. eod.

Per appellationem legitime interpositam principale
cum accessorijs ad iudicem appellationis deferitur, c. de
lectis, extr. eod.

Iudex aquo, non obstante appellatione, cognoscit de causa, si appellans non prosequitur: & iudex, ut suspectus recusatus potest alteri causam committere, c. ad hac, extr. eod.

Iudex aquo potest prefigere terminum appellanti, ad prosequendam appellationem, quo lapsa, readsumit iudex iurisdictionem, c. ad aures, extr. eod.

Contra constitutiones regulares, appellatio religiosum non defendit, c. quia nos, ex. eod.

A iudice iurisdictionem exequente non appellatur, c. consuluit, extr. eod.

Sententia excommunicationis, suspensionis, & interdã etiam sub conditione, suspenditur, si ante conditionis eventum fuerit appellatum, c. praterea, extr. eod.

Causa non est ad iudicem aquo remittenda, appellatione adhuc non iustificata, nisi de partium consensu, c. accepta, extr. eod.

Delegatus etiam datus cum clausula (appellatione remota,) recusari potest, si est consanguineus impetrãtis, vel si fuit advocatus eius in illa causa, c. postremo, extr. eod.

Causa suspicionis proponenda est corã iudice, qui recusat, & probanda est corã arbitris, c. secundo, §. 3. ext. eo.

Si appellatio recipitur à iudice, vel approbatur à parte, terminus ad eam prosequendam prefixus obtinet vicem peremptorij, ut in absentem procedatur, ac si peremptorie fuisset citatus: nec talis terminus praveniri poterit ab aliqua partium, c. sape contingit, extr. eo.

Protestatione conseruamus ius nostrum, c. fin. extr. eod.

Iustus metus excusat, adeo, quod nõ appellãs habetur

932 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
pro appellante, si fuerit protestatio, & appellationis cau-
sas duxerit exprimendas, c. si iustus, extr. eod.

Vna sententia pluribus condemnatis, si vnus solus ad
appellationis beneficium conuolauerit, illius victoria iure
communi ceteris suffragatur, si communi iure iuuetur,
idemq; negotium, & eadem causa defensionis existat, c.
vna sententia, extr. eod.

Quoties clausula (appellatione remota) in medio li-
terarum ponitur: si sunt plura negotia se minime conuen-
gentia, tantum praemissa complectitur: nisi forte in pre-
literarum praedicta clausula iteretur, c. inquisitioni, extr. eod.

Ante inchoatam persecutionem appellationis, appel-
lans potest si vult inuito appellato petere, vt remittat
ad iudicem a quo, sed condemnabitur in expensis factis
per partem aduersam, c. interposita, §. ille deniq; extr. eod.

Articulus appellationis interposita à grauius defen-
ditur per iudicem ad quem, parte absente per commo-
tiam, etiam lite non contestata in appellatione, vt in
cipali causa, d. c. interposita, §. sanè, extr. eod.

Ab eadem sententia, ab eodem iudice, tertio appella-
tio non potest, c. sua nobis, extr. eod.

Appellatio, omisso medio iudice, interposita, causa
non deuoluit, exceptione opposita, c. dilecti, extr. eod.

Si iudex de iure dubitans vult consulere Superiorem
debet consultationis copiam partibus edere, alias eius
fides non adhibetur, c. intima fides, extr. eod.

Per clausulam: (appellatione remota) inhibetur om-
nis appellatio, quae à iure non indulgetur expresse, c. pe-
nitentia, extr. eod.

LIBER SECVNDVS. 533
DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

Titulus XXIX.

Continuatio.

Sicuti per appellationem suspenditur iurisdic-
tio, ita ut iudex appellatus ulterius proce-
dere non possit, intantum, ut innouata à Su-
periore restituatur: pari ratione, per peregrina-
tionem & accessione Sedis Apostolicæ, ius suū
cuilibet vsq; ad reditum conseruatur: Et, si quid
interea ablatum sit, restituitur.

Quis dicitur Peregrinans?

Peregrinans hinc non dicitur quiuis, qui pere-
grè proficiscitur: sed is, qui peregrinationis cau-
sa ad Sedem Apostolicam se cōfert, c. sexta argu-
ta, 2. quæst.

Quæ causa Efficiens?

Bonus zelus peregrinantis, arg. c. si quis Romi-
petas, 2. 4. quæst. 3. & c. inuocamus, extr. de treu-
ga & pace.

Quæ Forma?

Ut clericus, adhibito consensu & auctoritate
Superioris, causa pietatis Sedem Apostolicā pe-
tat. Clerico enim & Episcopo peregrinari absq;
Superioris auctoritate non licet, c. non oportet,
distin. 5. de consecrat. & c. magnæ extr. de vot. &
vot. red. Nisi non, causa peregrinationis, sed ap-
pellationis prosequendæ, vel vitæ oppressio-
nis, & imminentis periculi proficiscantur, c. om-
nis oppressus, 2. quæst. 6.

LI 3

Quis

Quis Effectus?

Primò est securitas. Qua peregrinantes subiciuntur Apostolicæ protectioni, cum omnibus rebus suis, vt defendatur, & iura vel bona, quorum aliàs, propter absentiam, iacturam facerent, salva illæ factq; ipsis conferuntur, c. vnico, extr. eod. Secundò est conditio ex hac decretali, que competit ad repetitionem & restitutionem illius, quod durante peregrinatione absq; auctoritate Pontificis ablatum fuit, Hostiens. hoc tit. ex quo.

DE CONFIRMATIONE
vtili vel inutili.*Titulus XXX.*

Continuatio.

Contingit, sententiam, quæ per inferioris appellacionem suspensa est, per iudicium superiorem, vel per inferiorem, fatalibus taxis quandoq; confirmari, auth. ei qui appellat, C. de temp. & reparat. appel.

Quid est Confirmatio?

Confirmatio est, actus legitimi vel canonice celebrati corroboratio: per eum, qui ius commandi habet, ex certa scientia, & cum causa cognitione facta, c. studuisti, extr. de off. deleg. & c. bonæ memoriæ, extr. eod.

Quæ causa Efficiens?

Causa efficiens confirmationis dicitur, lex & homo. Vnde dicitur sunt confirmationis species, & c.

gis, scilicet, & hominis. Cōfirmatio legis dicitur, cū lex ipsa ex causa sequenti firmat ius constitutum: vt putà, confirmatur sententia ex decursu fatalium, ob neglectam vel desertam appellationem, transitq; in rem iudicatam, & rata habetur, d. auth. ei, qui appellat, c. cū sit Romana, extr. de appellat. & Clem. sicut appellationem, tit. de appel. Confirmatio hominis suprà definita est: & fieri potest tam ab ordinario, quàm delegato, superiore, & inferiore: vt est Pontifex Archiepiscopus, Episcopus, & alij, ordinariam vel mandatam iurisdictionem habentes, c. de confirmationibus, & c. examinata, extr. eod. c. 2. extr. de rescrip. Quod ita intellige: vt Inferior suam, Superior autem inferioris sententiā cōfirmet, non aut ecōtrā. Nam sicuti nec par in parem, ita multò minùs Inferior in Superiorem habet imperiū, c. innotuit, extr. de elect. c. cū inferior, extr. de maio. & obed. & c. inferior, dist. 21. possitq; quiuis Prælati, pro ratione dignitatis, qua alijs p̄eminet cōfirmare actū Canonicos, c. nihil est, extr. de elect. c. ad nostram, & c. fin. extr. eod.

Quæ Materia?

Actus Canonici, Actus legitimi: & ea, quæ ad iurisdictionem pertinent. Confirmantur enim actus Canonici: vt sunt, electio, institutio, præsentatio, collatio, & c. c. ex infortunatione, extr. de procurat. & c. postquam, extr. de elect. Cōfirmantur & actus legitimi, putà, adoptio, acceptilatio, tutoris datio, & alia: de quibus in l. actus legitimi, ff. de diuers. reg. iur. Actus autem de iure gentium introducti, qui voluntate partium nituntur, etiam lite non contestata: vt sunt emptio,

venditio, locatio, conductio, &c. non confirmatur, exceptis duobus casibus: primò, si partes al-
 sensum confirmationi accommodent: secundò, si
 Põtifex de plenitudine potestatis conventionè
 iuris gentium alienam ex certa sciètia cõfirmet,
 arg. c. quia diuersitatem, extr. de concess. præben.
 & Innocentius in c. de cõfirmationibus, extr. eo.
 Item actus iudiciales, & totus processus in iudè-
 cio habitus confirmari potest, nõ tantum à iudè-
 ce appellationis, verum etiam ab inferiore: nam
 deserta appellatione, ad petitionè partis victri-
 cis iudex a quo confirmat sententiã à se pronun-
 tiam, d. auth. ei qui appellat, C. de temp. & re-
 parat. appellat. Cõfirmantur deniq; priuilegia,
 inter dilectos, extr. de fide instr. beneficia, ad
 nostrã, extr. eod. possessiones, c. dudum, extr. de
 decimis, arbitria, cõpositiones, & transactiones,
 c. si. & c. examinata, extr. eo. c. si. extr. de transact.

Quæ Forma?

Ut ad petitionem partis, is, qui ius confirmari
 habet, ex certa scientia, & cū cognitione causæ,
 potissimum (si per confirmationem alij præiudicium
 paratur) id quod iure subsistit, confirmari
 aliàs secus. In his enim, quorum confirmatio
 præiudicare possit, iudex non confirmat, nisi
 tentibus partibus, c. 1. extr. de transact. & c. ver-
 rabilis, extr. eod. Ille autem, qui petit ius illud,
 cuius confirmationem petit, cõstitutum esse, non
 autem qualitatem eius probare obstringitur, vi-
 putà: petens confirmationem sententiæ, senten-
 tiam à competente iudice & ordine iuris serua-
 to latam, non autem iustam esse, probare tenetur,
 Innocent. in c. si quis, extr. eod.

Quis Effectus Confirmationis?

Effectus confirmationū pro diuersitate actuum confirmatorum, & causæ cognite, varij sunt: primò enim, si confirmatio ex certa scientia, & cum causæ cognitione fiat per Pontificem, ius tribuit: ita vt de re vel beneficio sic confirmato, nemo extra Pontificè cognoscere possit, nisi specialiter alicui commiserit, c. quoniã Abbas, extr. de off. deleg. c. veniens, extr. de test. c. Raynutius, ex. de testa. sic per confirmationem electionis datur potestas administrandi, c. transmissam, extr. de elect. Quandoq; confirmatio ius non tribuit, sed declarat & conseruat ius constitutum, c. preceptum, dist. 12. & c. quia intentionis, extr. de priuileg. idè talis confirmatio petitionem alterius vel iudicis cognitionem non remoratur, c. quia diuersitatem, extr. de concess. præbend. c. conquestus, 11. q. 3. quod verum quidem est, si confirmatio in forma communi conceditur.

Quæ Cognata?

Dispositio legis, & partium conuentio, stipulatio, pactum, quibus actuum confirmatio inducitur.

Quæ Adiacentia?

Existencia rei confirmandæ, æquitas, causæ cognitio.

Quæ Pugnancia?

Confirmatio inutilis, de qua alterum huius tit. membrum. dicitur autem inutilis, si surrepticia, id est, per falsi suggestionem, & veri suppressionem extorta, si contra formam iuris, si contra

538 ANALYS. IVRIS PONTIFICII
ius Diocesani, si de re litigiosa, si de sententia
interpositam appellationem, suspensa, &c.
2. c. 3. c. ad nostram, c. examinata, &c. fin. exte

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIVS.

Liber Tertius circa declarationem obiecti
Iuris Pontificij; quod est res ecclesiastica
tissimum versatur: licet formalia & adiectiva
Ordinis clericalis interserantur.

DE VITA ET HONESTATE
Clericorum.

Titulus I.

Quid est Honestas vita?

Honestas vitæ est, agendi dexteritate
minis animus ita informatur, ut de
do vitia, ea, quæ cum virtutibus con
unt, amplectatur.

Quotuplex Honestas vitæ?

Duplex, exterior & interior. Honesta
rior exterioribus actibus cum virtute con
entibus ordinatur. Interior verò cordis
ritate, patientia, humilitate, alijsq; virtutibus
Theologicis, & intellectualibus, continetur.

Quæ causa Efficiens?

Potentia appetitiua, & voluntas hominis